



48

n. n. ll.

MCB

1667



TACITUS. U. A. CLXV. & C.

Hoc praeputium sicuti dicitur in rebus, ne  
conteritur sicuti dicitur in rebus, ne  
que ex post sicuti dicitur in rebus, ne  
CHRISTOPHORI THIANI

# NUPTIÆ PARISINÆ,

---

M. D. LXXII.

PII CHRISTIANI

Vomum:

Ille hic non excedat: Omnia horum  
scula: Christophori dicitur sicuti dicitur: ac obvia  
nulla sicuti dicitur in rebus, ne  
Nocte regi sicuti dicitur in rebus, ne

TACITUS L.III. A. C. LXV. §. I.

*Hoc præcipuum munus Annalium reor, ne  
virtutes sileantur, utq; pravis dictis factis-  
que ex posteritate & infamiâ metus sit.*

CHRISTOPHORI THUANI,

Summi in Parisino Parlamento Præ-  
fidis, de die Parisinæ laniæ

Votum:

*Excidat illa dies ævo, nec postera credant  
Secula! Nos certè taceamus, & obruta multâ  
Nocte tegi propriæ patiamur crimina gentis.*

PII CHRISTIANI

Votum:

*Illa dies ævo non excidat: Omnia norint  
Secula: Christicolæ haud taceant: ac obruta  
nullâ  
Nocte tegi seve patiantur crimina gentis.*

IV  
TERNIO  
EPISTOLARUM  
DE  
NUPTIIS  
PARISIENSIBUS,

CUM ALIIS QVIBUSDAM  
SIMILIS ARGUMENTI  
OB MEMORIAM SECU-  
LAREM

REI GESTÆ  
DENUO EDITUS

EX MUSÆO  
CHRISTIAN-FRIDERICI Franckensteins.

---

LIPSIAE,  
TYPIS CHRISTIANI GOEZI,  
M. DC. LXXXIX.

VI

*Plurimum Reverendâ Auctoritate, Excellentissimâ  
dexteritate, reipublicæ administrandæ solertiâ,  
eminenti  
ILLU*

DOMINO  
GEORGIO. TOBIÆ. SCHWEN-  
DENDÖRFFERO,  
JCTO. ET. ANTECESSORI. CELEBERRIMO.  
CAPITULI. MARTISBURGENSIS. CANONI-  
CO. FACULT. JURID. ORDINARIO. DICA-  
STERII. AULICI. SUPREMI. ET. NATIONIS.  
BAVARICÆ. ASSESSORI. MAJORIS. PRIN-  
CIPUM. COLLEGH. COLLEGIATO. ACA-  
DEMIÆ. DECEMVIRO. ET. H. T. PRÆPO-  
SITO. MAGNO. COLLEGIORUM. HORUN-  
CE. OMNIUM. SENIORI. UNIVER-  
SITATIS. H. T.  
RECTORI. MAGNIFICO.

LIP  
PATRIÆ. DU  
PROCERIBUS. SP  
ET. DE. EGREGIO. PUB  
PATRONIS. HO

RIS

*Amplitudine, inclytâ Profapiâ, consiliorum felici  
rerum gerendarum prudentiâ, multoq; usu, &  
dignitate*

STRIBUS

DOMINO  
PAULO. WAGNERO. JCTO.  
FAMIGERATISSIMO. DICASTERII. AU-  
LICI. SUPREMI. SCABINATUS. ELECTORALIS.  
ET. FACULTATIS. JURIDICÆ. AS-  
SESSORI.

CONSULI. H. T. REGENTI.

DOMINO  
CHRISTOPHORO. PINCKERO  
JCTO. CELEBRATISSIMO. SERENISS. E-  
LECTORI. SAXONIÆ. AB. APPELLATIONUM. CON-  
SILIIS. SCABINATUS. ELECTORALIS. ASSESSORI.  
ÆRARIO. TEMPLI. NICOLAITANI. PRÆ-  
FECTO.

CONSULI. SENIORI.

DOMINO  
CHRISTIANO. LAURENTIO  
AB. ADLERSHELM.  
SERENISS. ELECTORI. SAXON. à CONSI-  
LIIS. CAMERÆ. SCABINATUS. ELECTORALIS. AS-  
SESSORI. ÆRARIO. TEMPLI. ET. SCHOLÆ. THO-  
MANÆ. PRÆFECTO.

CONSULI.

SIA.  
LCISSIMÆ.  
LENDIDISSIMIS.  
LICO. MERITISSIMIS.  
NORATISSIMIS.

Handwritten text at the top of the left page, including the word "STRIBUS" and other illegible characters.

QVICQVID. HEIC.  
QVOD. EXIGUUM. ESSE.  
NON. TAM. DE  
MULTIS. MAGNISQVE.  
AFFECTUS.  
ERI  
QVAM. PERPE  
ET. EXSOLVENDO. IMPARIS.  
CONFESSORIAM.  
OMNIGENAM. UNICUI  
ET. SUCCESSUS.  
DEVOTE. AP  
SUS

CHRISTIAN-FRIDERICUS.

Handwritten text at the bottom of the left page, including the word "CONSILL" and other illegible characters.

Handwritten text at the bottom of the left page, including the word "CONSILL" and other illegible characters.

Handwritten text at the top of the right page, including the word "Lectori Beneficentia Salutem" and other illegible characters.

EST. MEÆ. OPELLÆ.  
CONFITEBOR. LUBENS.  
BITI. JAMDILL.  
IPSORUM. BENEFICIIS.  
MONUMENTUM.  
GO.  
TUO. DEBITURI.  
SED. GRATISSIMI. ANIMI.  
TABELLAM.  
QVE. FELICITATEM.  
PROSPERRIMOS.  
PRECATUS.  
PENDO.

FRANCKENSTEINIUS.

Handwritten text at the bottom of the right page, including the word "Aug" and other illegible characters.



## Lectori Benevolo Salutem.

**D**ictator Caesar occisus, aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videbatur, dicente TACITO l. l. A. c. 8. Possum, nî fallor, idem affirmare de Parisinâ lanienâ, ante hoc patratâ seculum, quam ut immensis laudibus ceu pulcherrimû facinus reperti sunt, qui celebrarent, (nam & par-ricidium in HEINRICO III. Gallia rege patratum, anno 1589. eodem hoc Augusto mense Pontifex SIX-TUS V. cum facto Ebudis conferre non dubitavit; & HEINRICUM GARNETUM pulveraria in Angliâ conjurationis, anno 1605. auctorem an conscium? Jesuita inter sanctos retulerunt) Romani præcipuè Pontificis assecla. Hos inter M. ANT. MURETUS, Criticus aliàs & Orator eximius, cujus, Pliniano verbo, est cum Cicerone æmulatio, non dubitavit Greg. XIII. P. M. gratulari, & Galliarum regem Davidi de Goliatho triumphanti equiparatum summis propter-  
ea in cælum laudibus efferre Orat. XXII. Diu præ-  
meditatum hoc fuisse consilium non diffitetur JO-  
HANNES BUSSIERUS Franc. Hist. part. 4. l. 20. ab i-  
nitio. Convenisse ita jam olim in congressu CATHA-  
RINÆ MEDICÆ, cum filiâ ISABELLA Hispania regi-  
nâ ann. 1565. CAROLO IX. rege Comite, in dubio  
relinquit FAM. STRADA, dec. 1. l. 4. p. m. 171. inqui-  
ens: Ingentem illam Hugonottorum cædem septen-  
nio post actam Parisiis in hoc decretam esse conven-  
tu multi sentiunt: id quod mihi neq; abnuere, neq;  
affirmare promptum fuerit. Disertè affirmat Jac.  
Aug.



Aug. Thuanus. *Et præsides aut si mavis moderator istius conventus ALBANUS detestanda in omne ævum crudelitatis in Belgiopatrata stigmatē eternum famosus, dum acuto in speciem apophthegmate unum Salmonis caput vel centum balecum capitibus equiparandum asserit, destinationem aperire nullus dubitavit. Idem sensisse ejus temporis Protestantes auctor est CASPAR MICHAEL LUNDORPIUS Sleid. continuati tom. I. l. 6. p. 689. Sed & in BARCLAJO cuius veterum comparanda scriptore per auxilia Meleandro lata decretum à Christianissimo & Catholico rege de hac cede confectum designari auctor est, quicumque clavem Argenidis fabricavit. Fateri autem oportet omnes illos, quotquot ex premeditato consilio susceptam illam nefandam laniationem asserunt, nulla post recens conciliatam pacem causâ datâ tot millium cadem fuisse patratam. Sed cum auctores ejus viderent, magnâ passim eâ exire infamiâ se flagrare, conjuratum esse ab Amiralio & Hugonotis in caput regis, regiâq; familiae sinxerunt æquè immuni commento, atque antea crudelitas fuerat. Actæ eam ob rem acerbissimæ quæstiones de BRIQUEMAUTIO ac CHAVAGNIO, tanquam consciis, sed illi lassatis tortoribus in tuendis Amiralii innocentiam perseverarunt. Vid. Thuan. l. 53. p. 1091. Ut autem commentum hoc, quo sibi mirum in modum placebant, aliis quoque persuaderent, VIDUS FABER PIBRACIUS tunc Assessor & post Senatûs Parisini præsides (verba sunt THUANI l. 53. p. mihi 1087.) magnâ curâ, ornatu & artificio epistolam*

tam elucubravit, ornatissimi cujusdam viri nomine  
 ad STANISLAUM ELVIDIUM Kal. Novembris publi-  
 catam, quâ rem ut jure factam & laude dignam  
 tuetur, eâ maximè ratione, quod ad revincendam  
 COLINII & sociorum conjurationem vis tempeſtiva  
 à rege adhibita eſſet, de quâ conjuratione & regi  
 tunc conſtiterit trium delatorum testimoniis, pror-  
 ſus conſentaneis, qui conſilio in adibus COLINII ha-  
 bito interfuerant, & poſteâ amplisſimi ordinis au-  
 ctoritate ejus rei fidem factam, qui quæſtione dili-  
 genti habitâ ſc. COLINIUM tanquam conjurationis  
 convictum damnaverit. Reſponſum fuit ſub STA-  
 NISLAI ELVIDII nomine, epiſtolâq; illius auctor mul-  
 tâ verborum acerbitate proſcinditur, refutatis et-  
 iam argumentis. Haëtenus THUANUS. Quandoqui-  
 dem autem præſens hic annus ab illâ lanienâ centeſi-  
 mus eſt, & memoria peſſimi & in omne ævum dete-  
 ſtandi facinoris, cujus ſimile vel ipsis Pontificiis ju-  
 dicantibus nullum in totâ antiquitate evolutis gen-  
 tium annalibus reperitur, (THUAN. l. 53. init.) ani-  
 mis hominum excidere non debet, (ut ut illud in-  
 vôtis fuerit CHRISTOPHORO THUANO, I. A. patr.  
 ap. fil. l. 52. p. 1065.) exiſtimavi nil me facturum  
 præſenti inconſueti tempori, ſi has epiſtolas non  
 ubique hodiè obvias, & in paucis fortè Bibliothecis  
 reperiundas denuò typis traderem: Præmiſi autem  
 ex JOHANNÉ BUSSIERO, inter recentiores Gallie  
 hiftoricas vel principe loco numerando univerſe cæ-  
 dis hiftoriam. Subjunxi invictiſſimi Cæſaris MA-  
 XIMILIANI II. auguſtiſſime recordationis epiſtolam,  
 idio-

idiomati suo relictam, in qua gravissimo sanè præjudicio factum illud generi sui (CAROLUS quippe IX. Gallia rex Optimi hujus principis filiam ELIZABETHAM habuit in matrimonio,) detestatur & damnat. Succedit VIDI FABRI PIBRACII epistola, quæ idem illud factum excusat, & fictæ atque ementitæ conjurationis crimen, (ut supra dictum) nefarie castis Amiralio & reliquis impingit atque sic rerum minus intelligentibus fucum facere conatur. Cujus tamen criminis quomodo reos peragere possit per primarias Gallia urbes occisos, ipsemet non potuit invenire.

Hanc PIBRACII epistolam sequitur responsio STANISLAI ELVIDII, sub cujus nomine JOACHIMUM CAMERARIUM Patrem latere persuasus fuit is, qui epistolam utramque Bibliothecæ Hallensi consecravit, ut priorem auctori suo, ita hanc CAMERARIO Viro de studiis in universum & de hac Academiâ immortaliter merito adjudicavit. In quâ sanè elegantem styli & acumen ingenii nemo desideret, ita confutato adversario, ut quod reponeret, non habuerit. Sed in eo fortè, quâ fuit ad pacem & concordiam nimiâ, & propemodum reprehensionis non experte pronitate, lapsum aliquis arguat, quod parum interesse inter Reformatorem in Galliâ, & orthodoxam harum Ecclesiarum doctrinam arbitratur, & utramque facile nullog negotio conciliari posse autumat. Adjecta est ob argumenti similitudinem tum Mithridaticæ in Asiâ erga Romanos immanitatis, tum Vesperarum Sicularum

Histo-

*Historia, Utraque, nisi fallor, lectu nec indigna, nec inutilis. Vale Lector & studium in hisce colligendis nostrum æqui boniq; consule. Si me Vacuna respexerit, alia quoque hujus M. D. LXXII. anni memorabilia & stella præcipuè nova in Cassiopéa historiam à me expecta. Ex Museo Profesto D. Bartholomæi M. DC. LXXII.*



JOHAN-

JOHANNIS DE BUSSIERES  
 BELLOJOCENSIS  
 è Societate Jesu  
 HISTORIÆ FRANCICÆ  
 Part. IV. Lib. XX. ab init.



Rancia stabilitâ in speciem pace frue-  
 batur, & videbantur ad pacandos mo-  
 tus spectare omnia, cum eâ malaciâ  
 praelia sævissima parabantur. Ea nem-  
 pe mente Rex & Reginâ tam commo-  
 das condiciones Hugonottis indulse-  
 rant, ut veteri consilio repetito, exci-  
 dendorum Caputum rebellionis, per insidias atque soler-  
 riam perpetrarent, quod vi & aperto bello nequiverant:  
 Idque fas esse persuaserant Regi; quem dicebant Jure Di-  
 vino Justitiæ præsidem, compertis criminibus vindicem  
 datum, tam ferro militis quàm tortoris. Eratque in eam  
 rem arcanum à Regina institutum consilium, ex viris sibi  
 omninò addictis, Lotharingio Cardinale, Duce Nivernen-  
 si, Comite Rhetio, & Birago. Et quidem Cardinalis, tam  
 Religionis quàm Partium studio, Hugonotticam factio-  
 nem ac præsertim Admiralium, ut sibi suæque familiæ in-  
 fensissimum angue pejus oderat; Cæteri, Itali ortu, patriæ  
 similitudine multisque beneficiis à Regina affecti in eam  
 toto animi nisu propendebant; eosque ipsa ad arcana o-  
 mnia admittebat; Rhetio tamen præ cæteris intimo. Hic  
 Albertus Gondius ortu Florentinus, quem primò mater,  
 Regina à cubiculo, officiisque multis clarissima, commen-  
 daverat dominæ, tum ipse ingenio suo primam benevolen-  
 tiam immenso spatio magnis auctus opibus ac dignitati-  
 bus propagaverat. In id postea Consilium Audegavensis  
 vocatus est, matri acceptissimus, quem ipsa ad nutûs atque  
 arbitratûs suos conformabat. Igitur postquam larva pacis  
 indu-

inducta est insidiis, primusque ille scalarum gradus positus est, ut ad fastigium perduceretur, adhibenda ars ac industria fuit; ea autem tota in simulando ac dissimulando constabat; ut Regina Navarræ, Princeps filius, Condæus, Admiralius, cæteri que nobiles, arcessiti in Aulam, & reti spontaneo involuti, nullo periculo cæderentur. Eam porro simulandi artem Regina ita regi filio insinuaverat; ut ille quamquam naturâ iracundior (quæ indoles ad simulandum minimè omnium apta, tamen dominandi studio, ac simul vindicandi injurias æstu,) earum sensum abstruserit penitus; tanta in potestate os & linguam habens, ut nec ulla voce, nec colore vultus, leve mentis signum produxerit; quodque in adolescente permirum est, deliberatum Consilium perspicacissimos ac suspicacissimos Hugonottorum oculos fugit ac latuit. Nam præter speculatores ab iis locatos, ab Proceribus cavendum erat perdiligenter; si Mommorancius, Danuilla, Cossæus, & Biro, qui existimati in Hugonottos proclives, & quidem Mommorancii Admiratio affinitate conjuncti, si deprehendissent vel scintillam ignis latentis sub cinere, discussissent haud dubiè, ac paratum incendium extinxissent. Verùm is sagacitatis solertissimæ apex fuit, ut Admiralius suis ipse artibus caperetur; quique prudentiæ ac perspicacitatis laude se cunctis anteponeret, fuerit ea in laude feminæ & adolescenti inferior. Ac primùm esca ad eum capiendum obijcitur; bellum Hispanicum, cujus ipse ductum & administrationem susciperet. Et quidem aptissima ad inescandum illecebra: etenim Admiralius sævientibus bellis civilibus conquerebatur frequentius, eorum causam pacem Hispanicam esse; Francos temperare ab armis non posse, ea in se vertere, ubi hostis desit; nec occurrere opportuniorum ullum quàm Hispanum, Regni veterem æmulum, ac inimicum jam à Majoribus; Belgium totis Franciæ viribus obruendum, ac amovendum longiùs tam infensum hostem; Ideò virum, quæ fraudi patebat, aggressa mulier, per fictos homines consilium belli insinuat, fidemque ut  
faciat

faciat novi quod conceperat odii, adjungit accepisse à plurimis, quos in Hispaniam miserat, maxime à Delbena, Elisabethæ præ cæteris dilectæ filiæ, oblatum toxicum à Philippo, præferebatque vindictæ cupiditatem justissimam. Deinde versa ad Reginam Navarra, Henrici principis cum Margarita filia conjugium offert; atque exercitum quem ipse Henricus ad recuperandam Navarram in Hispaniam duceret. Simul ut esca alliceret efficacius, Rex in commodum Hugonottorum verba, blanditias, imperata, edicta, omni sollicitudine impendebat. Sic paulatim eorum animis exolescebat suspicio, & cicurata ferocia sensim ad illecebram & occultum rete præda accedebat. Admirabilius præsertim nova conjuge captus est, Jacoba Entremontia, vidua locuplete, quam in Sabaudia natam Duce prohibente, cum matrimonio nequiret adjungere, Regis gratiâ & auctoritate tum conjugem habuit, tum facultates. Mox Ludovicus Orangii frater, subdubitantem ipse animi falsus egit in laqueos; nam in Aulam missus, ut propius de bello illo Hispanico agitare, remque totam specularetur attentius; secretò quidem colloqvutus est cum Rege, adhibitis Mommorancio, Damuilla & Rhetio, cæterum persuasus, Admiralium impulit. Accessit mox alia machina, Navarri cum Margarita conjugium, cujus rationes & condiciones ut moderaretur, primo per Telinium generum, quem plurimi & meritò faciebat; deinde per Bironem, postremò per Cossæum, amantissimis litteris evocatur, & Blesiam ubi ageret Rex à Cossæo ducitur, stipantibus quinquaginta Nobilibus armatis, atque à Rege excipitur, tantâ gaudii & amoris significatione, ut dubium omne timoremque abstulerit. Tum data facultas, ut Castilionem inviseret, & domesticam rem constitueret; moxque adhibita ad Navarra Reginam machina: nam sagacissima mulier non satis cupidè hamum vorabat; quippe ut securitatem prudens timor parit, occultas præclara specie verebatur insidias; Catharinæ odium expugnabile unâ ultione; filium in manus hostium tradi atque potestatem; qui vel  
 ani-

animam, vel Religionem quam ducebat ipsa pretiosorem animam, vel vi eriperent, vel blandimentis excuterent; præterea in spem venerat collocandi filii cum Elisabetha Regina Angliæ; quæ juxta ipsum de religione sentiret; atque exemplo Condæus præerat, qui Mariam Clivensem Nivernensis sororem duxerat, quam ipsa Navarra propè ab cunis secum instituerat, & persuasione sua imbuerat. Tandem & ipsa ab Admiralio expugnatur, qui secundum in aulam vocatus, postulata, dona, gratias, facultates, ad primam voluntatis significationem à Rege impetrat; tam facile atque effusè condonante omnia, ut callidissimus senex tantæ gratiæ æstu provectus, tuta omnia, firma ac tranquilla, tum sibi, tum Reginæ crediderit. Præterea fidem Hugonottis Orthodoxi ipsi faciebant; qui in Regis mentem consiliumque intimum haud penetrantes, rem agi ferriò existimabant, & acerbè de Rege ac Regina veluti in hæresin pronis querebantur: eratque tum Pio Pontifici, tum Hispaniæ Regi fucus factus tam callidè, ut Hispaniæ Rex Oratorem suum juberet ab Franciæ Aula faceffere; Pius Cardinalem nepotem cursoriis equis ad Regem miserit; intercessurum conceptis nuptiis; & ipse diploma ad dispensationem affinibus pernegabat. In Aulam nihilominus pergebat Navarra cum filio; ac nodum diplomatis mors Pontificis solvit; cujus successor Gregorius XIII. seu benigniore natura, seu Regem veritus, seu majori perspicacitate, diploma concessit Cardinali Borbonio.

II. Post exceptam multo honore, & arctam in speciem benevolentiam Navarræ Reginam, & constitutum locum tempusque Connubii, ut more Romano, & Parisiis in majori æde ageretur; Ludovicus Nassovius rursus in aulam profectus, cum Rege de tota belli ratione deliberat, quod statim decernitur inferendum in Belgium, Admiralio Duce constituto cum summo imperio, deinde fit Belgii profligandi divisio, ut provinciæ citra Antverpiam positæ ad Regem spectarent, quæ ultra ad Oranium; Strosius & Baro Gardiæ mittuntur cum navibus in Britanniam, prohibetur clas-



classem Hispanicam, ne transfret in Belgium; demùm sex  
 peditum millia conscribuntur, magno machinarum & bel-  
 licarum rerum apparatu. Eo articulo Regina Navarrae mor-  
 te subitâ rapitur, die quinto post conceptam febrim, sive  
 æstu nimio, dum Parisiis per officinas mercatorum discur-  
 rit, ad pannos mundumque muliebrem coemendum; seu  
 veneno, quod (ut volunt) odore hauserit, chirothecis tra-  
 ctandis cujusdâ unguentarii Renati Mediolanensis: quam-  
 quam id ego minùs crediderim; plures enim cum Regina  
 feminae ad hujusmodi mercimonia admiffæ; nec verifimi-  
 le Reginam unam, tractasse mercem manibus veneno infe-  
 ctam; sed cum plura ad faciendam fidem convenerint, un-  
 guentarius & ille Italus, & famosus improbis moribus, im-  
 provisus morbus; tributum est toxico quod naturæ fuit.  
 Quasi humano corpori ab humoribus suis virus desit. Ea  
 mente dilatae nuptiæ, datumque spatium ad prædam o-  
 mnem adigendam in retia. In uno Admiralio operæ præ-  
 tium erat, qui Regem quidem semel bisque inviserat, sed  
 Parisios ingredi, amplam illam populosissimam, infensam  
 Hugonottis, & sibi ipsi præ cæteris civitatem, non induce-  
 bat in animum; & timorem æquum promoverant tum ar-  
 canum quoddam naturæ præfagium, tum multæ admo-  
 nentium literæ, tam à Francis scriptæ quàm ab externis, si-  
 bi omnino caveret, nec salutem furentis populi potestati  
 inconsultò permetteret. Sic hærentem & tergiversantem,  
 amicissimis literis & securitatis obsidibus per Cavagnium  
 Rex arcessit, tum per Briquemautium Seniore, qui disces-  
 sum urget, affirmatque hære bellum ipsius absentia; po-  
 stremò per Ludovicum Nassovium, Noüam, Jenlisium, &  
 Saucurium; quibus data viginti nummorum millia, ad oc-  
 cupandas per clandestina consilia Belgii urbes, evenitque  
 feliciter, ut Ludovicus Montes interceperit, Valencenas  
 Noüa; quo demùm facinore non dubius Admiralius quin  
 bellum flagraret, absterfo metu, magno Comitatu Parisios  
 venit. Nec multò post conseqvuti sunt Principes, Henricus  
 Jam Navarrae Rex & Condæus; ultrò nobilibus & Hugo-  
 notto-

nottorum capitibus in perniciem certam confluentibus. Jamque præda omnis in casses convenerat, cum duo moram consilio faciunt; alterum dum Guisus selectas operas ad cædem comparat; alterum dum copiam, quas in Belgium Jenlisius ducebat, quatuor peditum millia & ducenti equites, ab Albano opprimerentur; quod utrumque confectum est; victus ab Albano Jenlisius atque profligatus, & parati à Guisio percussores. Ita Augusti decimo septimo fatales nuptiæ celebrantur; in propylæo majoris ædis Parisiensis erecto pegmate, præside Cardinale Borbonio perfectum est Sacramentum; dehinc sponsa cum Catholicis in ædem inducta, ad obeunda missæ solemnia; Navarra Rex cum Hugonottis in proximas Episcopi ædes divertit, dum sacra conficiuntur, epulo in ipsis ædibus instructo: quatrîdium impensum choreis, conviviiis, ac certaminibus ludicris; jamque ad tragœdiam parato choro instructisque actoribus, de agendi modo deliberatum est. Reginae voluntate constituitur, ut Guisus adornato fuscario Admiralium cæderet, tum eo casu cæteri haud agrè impetu plebis civitate tota mactarentur. Idque Reginae vehementer placuit; sive ut Guisum in discrimen adduceret, tota Colinii & Mommorancii factione in vindictam Admiraliû ruitura; sive quod mihi verosimilius, facti infamiam uti à se ipsoque Rege amoveret. Adornatur itaque Louverius, idem qui Moryum per insidias Niortii occiderat, admittiturque in ædes Villemurii; qui quondam Guisii præceptor fuerat; ad quas Admiralius Luparâ rediens, seque hospitio recipiens, incedebat. Nec facinus morâ longior distulit; lento passu ingredientem, & scriptum quodpiam perlegentem, sclopeto exploso Lovverius tribus glandibus ferit; & aberrante ictu quò destinabatur, manum dextram duntaxat abscisso indice, & laevum brachium gravi plagâ sauciat. Ille immotus, digito ædes, unde erupissent insidiæ, monstrat, ad Regem mittit, qui factum docerent; tum innixus domestico ad hospitium secedit. Attentata cæde, non patrata, consilii ratio turbatur,

batur, & quamquam Guisus in suspicionem vocatis, attamen nec in eos irrumpebant ceteri Hugonotti, nec à Regina cogitata dissensio oriebatur. Quamobrem dum effervescerent odia, fuit Regi in simulatione perstandum: quo ille munere functus egregio, Navarro & Condæo exoptulantibus affirmat se flagitium acerbissime vindicaturum, palam dolorem & vehementem iracundiam exhibet, reis sceleris quicumque illi sint, minas intentat savissimis verbis; ac jubet cives capere arma ad tumultum, si quis exurgeret, opprimendum, nobilesque Hugonottos in vicum Admirali cunctos divertere, ut saluti tam cari capitis invigilarent. Imò faucium invisit humaniter, amicissimis verbis solatium facit, eoque audito remotis arbitris, quod Reginae spectanti suspicioni & metui fuit, regreditur Luparam. At Hugonotti fremere & indignari summopere, atque ardere vindicandi cupidine; sed clam auctor erat, nec tutum Guisios palam in civitate tam amica impetere: ideo plerique suadebant, ut Admiralius extra urbem in securum locum deferretur, ceteri omnes abscederent, periculo certo sese eriperent, tunc de communi re tranquillioribus animis consuleretur. Et ducibus in cubiculum Admirali convenientibus, ita censuerat Vidamus Carnuten- sis; demonstrans quanto in discrimine versarentur; sibi- que certissimum urbe egredi proximo die, & cum adhuc liceat reti erumpere. Ea Reginae nunciata, quæ Tuilleriis agebat, propositam cædem festinarunt; & extemplo convocato secretiori consilio, statuitur ut eâ ipsâ nocte Hugonotti cædantur, tum Nobiles qui sequuti Admirali- um erant, tum cives, juxta nomina antè recensita: tum deliberatum de Navarri & Condæi vita; ac de Navarro, facile assensum, ut incolumis foret; Regia affinitas, patris memoria, ipsius humanitas atque indoles cunctis accepta, fuerunt salutis; de Condæo agerrimè conventum ut pateretur; dura atque aspera Principis natura aggravante odia patris & offensionem; vixque salus Nivernensis Sorori precibus data est; quibus constitutis deducendæ & patran-

sa caedis provinciam Guisus suscepit, tum futurus vindex paterni exitii, tum eo facinore Catholicorum benevolentiam & quodammodo novum imperium sibi paraturus, ac suo nomini.

III. Convenerat uti primo diluculo, quo dies sancto Bartholomæo festus inciperet, pulsata palatii publici majore campana, caedes patraretur; & eam in rem Guisus Prætorianum militem tum è cohortibus Francicis, tum ex Helveticis ad Luparam & Admiraliæ aedes locaverat, tum Charronus Mercatorum Præpositus civem armatum in urbis palatium convocaverat; quorum illi Nobiles, hi civem mactarent. Sed Regina occupans definitum tempus, aliquo post mediam noctem spatio, jubet pulsari signum in sancti Germani aede, ut similiter in palatio pulsaretur. Statim caedis initium ab Admiraliis factum, ut qui rebellionis signifer, & hæresis pervicacissimæ caput & promotor fuisset, idem ad pœnam præiret cæteris. Guisus cum equitè Enculismensi ac Prætorianorum centurionibus postquam in aedes ejus irrupit, in atrio hæret, dum cæteri scaldas scandunt, & in Admiraliis conclave invadunt; eorum Dux Cossinus, à Rege ad ipsius custodiam designatus, Corboranus, Cardillacus, Sarlabosius, Petrucius Senensis, & Besma Germanus. Ad strepitum irrumpentium Admiraliis surrexerat stratis, & toga tectus domestica, stans ut moreretur, innitebatur parieti, cum à Besma primùm punctim in alvo, tum in ore casum percutitur; mox ab cæteris promiscuè irruentibus obtruncatur; statimquæ cadaver per fenestras in atrium subjectum à Besma & Sarlabosio projicitur. Id jubebat operiens in atrio Guisus cum Inculismensi, qui attentè perspecto cæsi vultu, postquam strophiole cruorem Inculismensis absterxit, impleta ultione pergit ad cætera. At Admiraliis pœna ultra ipsam vitam, in cadaver prorogata est horribiliter. Nam primùm avulsim à trunco caput ad Catharinam defertur, tum plebs in aedes irruens, furorem conceptum in cadaver miserandum effundit; & repetitis tum spatiis tum diebus, omne oppro-

probrii & lanienæ genus in artus orbaros sensu expromit. Eo momento manus & pudenda ferro demetit, projecto in sterquilinum trunco; tum sequenti die eadem plebs rursus miserabiles trunci reliquias raptans triduum per cœnum discurrendo per vicos fune vinctas trahit, deinde in amnem proximum mergit; mox cadaver iterum raptum Monfalconem defert, furcis appendit, ignem subjicit, quo artus tosti non absumpti; & pependit abominandum spectaculum, donec cæca nocte detractum à Mommorantio, humo conditum est deformatum cadaver, elementis singulis in pœnam vocatis. Magnâ quidem plebis furentis insanîâ; sed justo Dei iudicio, tot Sacerdotum cædem atque Templorum ruinam plectentis; præter sua supplicia quæ animæ irrogata, latuerunt mortales. Ab Admirali cæde festinatur ad alias; atque statim Nobiles, qui Guisii provincia erant, corripit furor. Ii tum in Lupara, tum in vicis proximis hospitantes involvuntur nullo negotio ac mactantur. Calamitates singulorum percurrere, ut nec instituti mei, nec otii est, sic illustriores prætermittere nefas. Rupifocaldius Regi gratissimus, primus post Admirali cæsus est; Telinius gener, oris amabilitate & suavitate sermonis, semel atque iterum percussoribus mitigatis, ab tertiis tandem confoditur; Clermontius Renellus nudus & cubili prorumpens, inter plebis irruentis turbam, amnem navigiolo trajiciens, perimitur à Bussiambosio patruale quicum litigabat. Brionius octogenarius, Principis Contii moderator atque institutor, inter alumni sui uberrimos fletus, tenellulas manus ad tegendum senem frustra obtendentis, occiditur; à Glasio Laverdinus perimitur; Franciscus Nonpar Caumontius, ducta Maria Forcia, cum majore filio obruncatur in lectulo; filius alter qui annum decimum tertium delibabat, inter patris fratrisque vulnera, cum crederetur cæsus, incolumis delituit sub eorum cadaveribus, donec sub vesperam ad Bironium profugit; isque est Forcia, qui ætate nostrâ Marescallus, vitam annis pluribus factisque produxit. Plures per

Urbem sparsi maectati sunt; atque in ipsam Luparam pervasit cædentium furor; Navarri domesticis strage implicitis; ii spoliati armis, & è cubiculis extracti, ad intimas palatii fores abducti, obtruncantur singuli, Regis fidem, & misericordiam appellantes: in iis Pilesius, Pardalianus, Martinus Bursius; ac Beluorius Navarri pueri gubernator, podagrâ decumbens in lectulo, & in eo cæsis plures. In sancti Germani suburbio hospitabantur Rohanius, Caumontius Forciæ patruus, Vidamus Carnutensis, Mongomerius, Nocla, Segurius, alter Pardalianus, aliique, quos fors melior stragi eripuit; Maugironio assignati erant obtruncandi, sed imparatis stipatoribus, excitati urbis fremitu è stratis miseri, jamque impetiti à militibus amnem transmittentibus, quam celerrime in equos involant, plures sine ocreis, haud pauci solis duntaxat caligis linteati; & sequenti cum equitibus Guisio sese proripiunt. Sic multiplici strage quingenti nobiles capitum instar vilissimorum in somno & trepidatione contrucidati sunt. Verum, in publico furore unius viri non prætermittenda est generositas: is Vesinus Cadurcus atque Catholicus, gravibus inimicitiis in Renierum Hugonottum susceptis, uterque in Cadurcis suarum partium duces erant, & a publica causa in privatum transgressi odium, sic mutuis injuriis exacerbaverant animos, ut nihil optarent vehementius quam necem æmuli. Regis mandato festinabat in Cadurcos Vesinus ea ipsa nocte qua strages edita; & ipse natura asper & intractabilis, præclaram occasionem inimici maectandi novo modo usurpat. Viam capeffens ad ipsius ædes primum tendit, turbam militum effringentium fores aliquantulum inhibet, tum ipse stipantibus duobus domesticis, in Renieri cubiculum irrumpit, & stricto gladio, parmâ prætensâ, oculisque fulmineis, inimicum provolutum in genua ad exorandam misericordiam, jubet consurgere, & ponè se ire. Obsequutus Renierus, & ad certam mortem sequutus jubentem, equo ad fores instructo imponitur, atq; in patriam modicis itineribus ab Vesino deducitur, per illud

Iud centum leucarum spatium obmutefcente; donec per-  
ventum ad Renieri domum, ad cuius fores consistens, so-  
luto tandem pertinace silentio, salvum esse æmulum atque  
incolumem jubet; se prohibitum à cæde, tum honoris sui  
& gloriæ causâ, tum ob conceptam de æmuli fortitudine  
opinionem; nunc fas esse in securitatem liberam vindica-  
to priores inimicitias persequi, seque expeditum in certa-  
men si vellet. Ad eas voces Reniero pugnam recusante,  
& se victum generositate tantâ profitente; Vesinus cum af-  
firmaret sibi perinde esse inimicus aut amicus foret, repu-  
taret ille per otium, utrum sibi placeret, impulso equo ho-  
sti admiranti sese eripuit; egregiâ reportatâ victoriâ, &  
vindiçtâ toto illo itinere domitâ, laudatissimo facinore,  
cum inimicum odisset simul atque servaret.

IV. Verùm ipsa nocte dum in nobiles Guisus sævit, plebs  
inflammata in Hugonotum civem irruebat; Mompenfe-  
rius, Nivernensis, atque Tavanius zelo religionis Catho-  
licæ, & immenso in Hugonoticum furorem odio, primas  
excito populo flammam subjecerunt, deinde sufficiente ad  
omnem immanitatem populi impetu, Nivernensis vocatus  
ad Reginam secesserat. Et verò per dies tres continuatos  
noctibus lanienam horribilem totâ urbe sexaginta homi-  
num millia, solutâ in licentiam omnem insaniâ, impunè  
perpetrant: passim aures percellunt, fremitus mactantium,  
pereuntium gemitus & sclopetorum explosio; effringun-  
tur fores ac fenestræ; ædes inflammantur; miseri in le-  
ctis, in scalis, in vicis circumstante turba confodiuntur; è  
fenestris in pilorum & sarissarum cuspides projiciuntur,  
torrentur crepitante circum incendio, plagis pluribus sau-  
cii amne merguntur; truncati membris & viva etiamnum  
cadavera per cœnum raptantur; infantes in cunis, in pa-  
rentum gremio liberi, in amplexu mutuo conjuges, nullo  
humanitatis sensu, crudelissimè è viventium numero ex-  
turbantur. In amnem rivi sanguinei deducuntur, vici ster-  
nuntur cadaveribus, ea in foris arcisque publicis extruun-  
tur in cumulos; uno verbo, sexcentæ domus qua direptæ  
B 4 sunt,

sunt, qua incensæ, & quater mille homines interfecti. In his memorantur Lomenius scriba Regius, Petrus Placia primarius in Curia vectigalium præses, Terrierus Clarus Causidicus, Magdalena Briffoneta Cardinalis Briffoneti neptis, Petrus Ramus ab æmulo Carpentario sicariis submissis mactatus; Dionysius Lambinus antistes ille humanioris literaturæ, metu similis mortis extinctus est. Duo præcipui furentium Antesignani, Pelsonius Ianius, & Croifierus auri ductilis artifex; quorum ille centum quinquaginta una nocte mactavit; hic brachium ostentans, sæpe jactavit se quadringentis vitam ademisse. Imo plures Catholici ab inimicis privatis involuti sunt publico odio, & pro Hugonottis occisi; quales Guillelmus Bertrandi, Bertrandi Cardinalis filius, Rovillardus in Parlamento Senator, & Petrus Salseda. Regem interea varii & diversi stimuli agitabant. Edito cædis jussu, dum se conscii comparant, animo æstuarè, proximæ calamitatis stragem perpendere, atque propemodum in misericordiam revocari: quod Regina postquam nuntiatum, extemplo comitantibus Andegavensi, Nivervensi, Tavano, Rhetio, & Birago, properat ad dubitantem, animumque sollicitè ad perficienda incepta confirmat. *Admiralii vulnere factionem totam inflammatam; Impendere gravissimum bellum, si liberi abeant; in Germania, Anglia, atqve Helvetia haberi delectus; Catholicos ipsos arma sumpturos, & sibi ducem auctoritate sua electuros, qui pessundet Regiam majestatem, suoq; arbitrio bellum gerat.* Ad ea procerum accedentibus calculis, Rex exequi quæ mandaverat jubet: sed rursus in contrarium sensum abripitur. Adstabat cum matre & fratre in cubiculo, quod aræ Luparæ imminet ad spectandam cædem; cum ad sonitum sclopi brevioris explosi, quodam metu absterritus, nobilem ad Guisium mittit, qui juberet abstinere a cæde, atque domum faceffere, at Nobili renunciante, jam cæsum Admiraliū, nec frænari posse Parisiensium impetum, revolvitur in susceptum consilium. Die qui luctuosam noctem consequebatur, Navarrum & Condæm



in cubiculum tuum arcessit; quæ ipsi vidissent, suo jussu patrata asserit; usum eo remedio ad civilia bella opprimenda, ad eos quod spectaret, justam esse materiam odii & vindictæ, quod se duces factionis deterrimæ præbuisent; attamen ea affinitati & sanguini dari, modò mores & vitam mutarent, atq; Catholicam religionem amplecterentur, viderent sibi ut ea in re obsequerentur, alioqui ad ea ferenda, quæ passi essent domestici, se pararent. Ad eas fulminantis voces, & oculorum minacium fulgura repetita Navarrus suppliciter respondet, rogare se Regem, ut vita & conscientia illibatæ sint, in cæteris omnibus futuros se obsequentes. At Condaus paulò audaciùs, quàm calamitas præsens exposceret, dat responsum; bona & vitam esse in Regis potestate, Religionis unum Deum tam dominum esse quam auctorem: ob quæ dicta, ira vehementissima Rex excandescens, Condaum acerbissimis ac contumeliosissimis verbis increpitum, haberi in custodia cum Navarro jussit, minitans atrociter eliden- as fauces contumaci, nisi triduo proximo à pertinaci sensu deficeret. Decurso triduo, cum Senatores quidam Parisienses Regem admonerent, quo in periculo res publica versaretur, si diutiùs plebi insanæ fas esset furere, is per præconem jubet arma deponi, ac plebem in sua tecta discedere. Ita summus ille furor coercitus, quamquam diebus proximis plures vel cæsi sunt, vel in carcerem rapti. Imo in æstu insanæ, vita non paucis ab inimicis ipsis condonata est; Rex Grammontium, Durasium, Gamachium, & Buccananium servat; Guisus plus centum periculo eripit, in quibus Briquemautius junior; Acierius ab fratre Duce Uzetiensi servatur; Vicecomites Paulinus & Monclarus à Villarso, Bellieurius pluribus saluti fuit. Mommorancios fratres in discrimen vocatos Marescalli absentia, ut creditum est, fecit incolumes; Cossæus precibus Castronovæ datus est, quæ forma corporis commendata erat Andegavensi; Biro salutem fortitudini suæ debuit, qui in armamentarium sese recipiens, tormenta in urbem disposuit, ad frangendos primos furoris impetus:

forte ut plerumque fit distinguente reos à miseris; nec Rex, qui nutaverat in cæde imperanda, firmior fuit post eam confectam. Nam primò ad provinciarum Prætores scripserat, eam cædem populari tumultu patratam; mox Guisii instantibus, ut probaret ipse, quod revera mandaverat, in idque assentientibus tam Reginâ quam Orthodoxis Principibus, novis literis certiores facit Gubernatores, stragem Parisiensem suo jussu factam, ad opprimendam horribilem conjurationem, quam Admiralius cæteri que conscii iniverant, ad Regiam familiam extinguendam; eamque in rem in Senatum venit; imperatq; in mortuos litem de conspiratione in Regem instrui.

V. Sed non una Parisiensium strage conscripta est cædes, per plurimas urbes grassata est, pronâ ad tumultum, ubi impunè furere licet, plebe promiscuâ Rex quidem edictum palam proposuerat, quo cavebatur Hugonotorum saluti, modò se in domibus continerent, nihil novi molientes; sed arcanis literis jussi erant Prætores ad Parisiensium exemplum perniciosam luem exscindere. Idque factum vel prætermisum est, juxta Prætorum sensum, vel alterutri partium addictorum, vel in clementiam sævitiamve proclivium. Meldis ducenti interempti sunt; Trevis totidem; Aureliæ plus mille; ad Bituricenses, Nivernenses, & Charitatis incolas propagatum exemplum. Tolosæ inter alios quinque Senatores cum purpureis togis affixi patibulo; Burdegalæ tardius decursum ad cædem, sed mora deinceps repensa est gravitate. Lugduni magna asperitate sævitum, in quam urbem plerumq; colluvies externarum Gentium convenit; & quidem Mandelotius Gubernator, quamquam addictus Guisii, à cæde abhorrens, ad nuntium Parisiensis tumultus, optimates Hugonotorum in carcerem miserat, eos insanix populi subrepturus; sed Petro Auxerra Regio procuratore, qui ab Aula recens aderat, facem animis subjiciente, erupit carceribus popularis furor; statimque effracto carcere, quo se tutos rebantur miseri, cunctos partim mactant, partim strangulant, partim amne-

mer-

mergunt, partim in membra discerpunt; ii propemodum octingenti erant; tum per ceteram urbem calamitas sparsa, reliquias cæde atque incendio perdit. In proximis Lugduno provinciis temperatum est à cædibus; In Phocensi provincia Tendius Comes, in Hugonottos pronior; Damvilla in Occitania, in Delphinatibus Gordeus, in Burgundia Chabotius, Senteranius in Arvernia, Matiscone Guicha, Bajonæ Orthenfis Vicecomes, plebem continuerunt, nullo sanguine, aut raro admodum fuso. Interea lis in Admirantium instruebatur, & adigebantur ad amplectendam religionem a vitam Navarrus & Condaus. Nec ille præbebat se difficiliorem; at hic animo in voluntatem Regis obdurato, perstabat in sententiâ; à Rege arcessitus, & severissimis minis perterritus, simulatâ persuasione in Catholicam religionem transit, cum Navarro; Cardinale Borbonio utriusque abjurationem admittente. Mox lite in Admirantium instructa, Senatus decreto læsa majestatis reus dictus est ac damnatus, pœna tanti sceleris in ipsius effigiem, ut constitutum erat, impletâ. Additi simulacro focii duo ipsi in vivis, Arnaldus Cavagnius, & Briquemautius pater, togatus ille, hic sagatus; qui veluti conjurationis participes, eidem supplicio addicti sunt. Eaque est cædes Hugonottorum, tam multis hæreticorum scriptis impetita, & Catholicorum apologiis propugnata; quæ ut Romæ atque in Hispania immensis laudibus celebrata; ita in Germania, Anglia atque Helvetiæ parte, querelis & accusationibus, tam laceffita, quàm lamentis flebilibus deplorata; eadem ambigui apud posteros sensus; vi & occultâ cæde à Francorum indole multum alienis; maximè cum per insidias spargitur cruor. Sanè honestius atque utiliùs post pugnam Monconturianam Hugonottorum reliquiæ apertâ vi excindi poterant, si victores hæssent fugientibus, & respirandi spatium ademissent; modò ex eventu constabit, & renascente iterum bello, molitionem tantam frustra susceptam, & contractam apud plures levi fructu infamiam. Imò tunc percussis in-

stan-

standum fuerat, promptoque exercitu Rupella & Montai-  
danum, quæ duæ civitates profugos tuebantur, expugna-  
re oportuit; verùm dictis mollioribus Rex acerbissimum  
vulnus exulceravit potius quàm sanavit, novum bellum  
in cunis atque in femine oppressurus, quod indulgentia  
intempestiva aluit, donec erumperet. Idque attributum  
Rhetio & Birago Reginae Consiliariis, qui texendis Consi-  
liis quàm bello meliores, abhorrebant ab ea re qua non  
excellerent; & Regina ipsa arma abiciebat, in quibus  
plus alexæ atque arbitri alieni; attamen frustra efferatos  
tot cædibus animos rursus sperabat venturos in retia; bel-  
lumq; quod inferre voluerat, ferre & repellere tan-  
dem adigitur.



Kaiser

# Kayser Maximilians

Des andern

## Sendbrieff

An

Hn. Casarum von Schwendi/

Betreffend das Französische Blut-Bad und  
Spanische Tyranny in Niederland/ mit  
selbst eigner Hand geschriebē und überschickt.

Ex S. R. I. Constitutionibus à Melch. Hai-  
minsfeld. Goldasto editis Francofurti 1607.

part. 3. n. 30. p. 208.

**S**ieher von Schwendi/ ich hab euer Schrei-  
ben wol empfangen/ Und vernommen: neh-  
me auch euer trenherzig Christlich Mitlei-  
den / so ihr mit meiner Schwachheit tragt/  
mit sonderm Danck an. Der ewige Gott/  
in dessen Hand alle Ding stehen/ der mache  
es mit mir nach seinem göttlichen Willen. Der ich Ihme  
umb alles Lob und Danck sage/ (dann Er am besten weiß/  
was mir nutz oder schädlich) Und ich mit seinem Göttlichen  
Willen gedultig/ und nun gar wol zu frieden bin. Denn es  
leider auff dieser Welt dermassen zugehet/ daß einer darbey  
wenig Lust und Ruhe hat: Aber Widerwärtigkeit/ Untreu/  
Unerbarkeit ist überall vollauff: Der Herr woll sich Unser  
erbarmen/ und solches Ubel von seiner Christenheit ab-  
wenden. Ja es wäre nicht ein Wunder/ daß einer bey die-  
sem Wesen gar blitzblau und toll würde: Davon viel zu  
schreiben wäre. Mit meiner Schwachheit schickt es sich  
(Gott

(Gott Lob) sein gemacht zur Besserung/ der Herr sey gelobt/ und alles/ was er machet.

II. So viel die redliche That/ so die Franzosen mit dem Admiral und den Seinigen Tyrannischer Weise erzeigt haben/ die kan ich gar nicht loben/ und habe es mit herzlichem Leid vernommen/ daß sich mein Tochtermann zu einem solchen schändliche Blut-Bade hat bereden lassen. Doch weiß ich so viel/ daß mehr andere Leute/ als er selber regieren. Aber nichts desto weniger laßt es sich damit nicht beschönigen: ist auch damit nicht ausgerichtet. Wolte Gott/ er hätte mich zu Rath gefragt/ wolte ihm treulich als ein Vater gerathen haben/ daß er die es gewißlich nimmermehr mit meinem Rath gethan hätte. Er hat ihme hierdurch einen Flecken angehenckt/ den er nicht leichtlich ablegen wird. Gott verzeihe es denen/ so daran schuldig. Dann ich höchlichen besorge/ daß sie es erst mit der Zeit erfahren werden/ was sie gutes damit gewirckt haben. Und es in der Wahrheit nicht anderst/ als wie ihr vernunftiglich schreiben/ daß Religions-Sachen nicht mit dem Schwert wollen gerichtet und gehandelt werden. Kein Erbarer/ Gottsfürchtiger/ und Friedliebender wird es auch anderst sagen. Zu dem so hat uns Christus und seine Apostel viel ein anders gelehrt. Dann ihr Schwert ist die Zunge/ Lehre Gottes Worts/ und Christlicher Wandel gewesen: Auch ihr Leben uns dahin reizen solde/ wie sie und so weit sie Christo nachgefolget/ ihnen nachzufolgen. Zu demie/ so solten die tollen Leute nunmehr hülich in so viel Jahren gesehen und erfahren haben / daß es mit dem tyrannischen Köpfen und Breunen sich nicht wil thun lassen. In Summa/ mir gefällt es gar nicht/ und werde es auch nimmermehr loben/ es wäre dann Sach/ daß Gott über mich verhängte/ daß ich toll und unsinnig würde: darfür ich aber treulich bitten wil. Ja kan ich euch nicht verhalten/ daß etliche unverschämte und verwegene Buben seynd/ die da haben dürfen sagen/ was der Franzos in diesem Fall gethan hätte/ das ware nicht allein mit meinem Vorwissen/ sondern auch Rath geschehen.  
Darau

Daran thut man mir (GOTT weiß) von ihnen und der Welt unrecht. Aber ich hab der unbilligen und unwarhafften Possen wol mehr schlücken müssen. Ich befehle aber alles meinem lieben GOTT/ der wird das Unbillich zu seiner Zeit wissen zu wenden und zu straffen.

III. Was aber das Niederlandische Werck betrifft/ das kan ich gleich so wenig loben: Dann man ihme zu viel gethan hat. Entgegen weiß ich wol/wie vff und was ich dem Könige zu Hispanien geschrieben und gerathen habe. Aber in Summa/der Spanische Rath ist viel angenehmer gewesen/als mein treuherziger Rath/ und müssen jetzt selbst bekennen/das sie geirret haben/ und diesen Unrath selbst am meisten geursachet. Ich hätte es gern gut gesehen/ und das diese Edle Lande nicht so jämmerlich wären verderbt worden: Und unangesehen/ das man mir nicht folgen hat wollen/und ich billich scheue seyn solt zu rathen / so unterlasse ichs dannoch nicht/ und thue treulich das meinige. GOTT wolle/das es würcke und Nutz schaffe/ und das man einmahl aufhöret/ und gnug an dem vergangenen habe. Es wär viel von deme und andern zu schreiben.

IV. In Summa/ Spanien und Franckreich machen es wie sie wollen/ so werden sie es gegen GOTT dem gerechten Richter müssen verantworten. Ich wil/ ob GOTT wil/ für mein Person erbar / Ehrlich / treulich und aufrichtig handeln. Hoffe gänzlich/ GOTT werde mir seinen Segen dazu verleihen/ damit ich mein Thun und Willen gegen GOTT/ und der Welt könn verantworten. Und wann ich das thue/ so bekümmere ich mich umb diese böse und heillosse Welt gar nichts.

V. Ich habe gleichwol verhofft/ in das Königreich Böhheim etwas zeitlicher zu kömen/ dieweil ich aber noch nicht gar zum besten auff bin/so wollen mir die Doctores keines Wegs nicht rathen/ das ich mich bey dieser starcken Kälte hinaus begeben soll. Darumb so habe ich einen Landtag zu halten nicht länger einstellen können: Und da nichts anders entzwischen einfällt/ mein zween älteste Söhne darzu zu  
ord.

ordnen. Jedoch da Gott Gnade giebt/ und der Sommer  
 herzu streichen wird / wil ich auch nicht aussen bleiben.  
 Dann sonsten das Wesen bey diesem Regiment nicht be-  
 stehen könte: Und es erfordert der Cron und mein eigne  
 Nothdurfft. Dann ich wol siehe/ wie man hauset/ und es  
 zugehet. Damit seid Gott befohlen/ der wolle alle Sa-  
 chen/ nach seinem Göttlichen Willen der Christenheit und  
 uns allen zum besten schicken. Geben zu Wien den 22.  
 Febr. Anno 1574.

Maximilianus, &c.



Orna



Ornatissimi cujusdam Viri, de Rebus Gallicis epistola, ad Stanislaum Elvidium. Kal. Nov. 1573.

*Esse eam Vidi Fabri Pibrachii, ostendimus supra ex Thuano l. 53. p. m. 1087.*

**D**E Rebus, quæ in Galliâ nuper acciderunt, graves isthîc rumores, atque (ut tuis verbis utar, Elvidi amicorum meorum maxime) atroces in Germaniâ voces percrebuisse, non tam certè miror, pro temporum injuria, & studiis partium, quam nonnullis viris succenseo, optimis quidem illis, & à nobis non alienis, sed parùm hercè prudentibus, qui dum in tuendâ Regis Christianissimi adversus obtrectatores existimatione, fidem suam & officium probare, sedulò nimis cupiunt, ab imperitis & levibus, ne quid gravius dicam, hominibus decepti, in rei ipsius, de quâ agitur, veritatem, non satis diligenter inquirunt: atque ita cupidè causam defendunt, ut quemadmodum, qui perditè amant, non nayo aliquo, aut struma in amicarum corporibus offenduntur: sic isti, quicquid ad octavum Calendas Septembris, ab improbo quovis nebulone, crudeliter & flagitiosè factum audiunt, tanquam egregiè & fortiter, atque ex usu reipublicæ actum fuerit, amatorie laudant: nec satis prospiciunt, pleraque extitisse ejusmodi, quæ jure reprehendi possint, quæque optimus Princeps commissa, tunc vehementer doluit, & nunc (qua prudentiâ est & æquitate) severè etiam vindicaret, nisi commotis ac prope furentibus, in tanto Regis periculo, omnium animis, à plebeculâ ipsâ modum & mediocritatem acerbè exigere, quam sapientes præstare vix possunt, durum nimis atque insolens videretur. Nosti mores meos: ego (ut verum fatear) is homo sum, qui reorum lachrymis impar,

impar, ipsorum etiam nocentum justis suppliciis (quæ ingeni mei intemperantia est) ad valetudinem usque, interdum soleam commoveri. Ex quo facile intelliges, quis animi mei sensus fuerit, in tot virorum, una atque altera die, continuatis cædibus. Dicam ingenuè: Ad tantarum rerum tam repentinas vices, & ad florentissimæ hujus urbis, quæ tum sese offerebat, miserandam speciem, obstupui, ingemui, indolui, cohorrui totus. Et sane, mœrore animi concidisset, nisi publici consilii, pro ea dignitate qua fungor, non omnino malè conscius, de æquitate causæ minime dubitasset: ac nisi jam tum mihi plane constitisset, immanem illam sævitiam, & nefariam bonorum direptionem, non ex Regis humanissimi & æquisissimi sententiâ aut voluntate proficisci, sed à populari levitate, aut potius iracundiâ, & immodico quodam animi æstu: quem sedare nulla ratio, coercere nulla vis poterat, non Præconis vox, non fictorum turba, non Prætorianus miles, non ordinis nostri amplissimi authoritas, non Errici, Andium Ducis maximi & clementissimi, imperium, non ipsa denique Regis majestas. Sic est profecto, Elvidi doctissime, quemadmodum tu non ignoras, ut qui minimum sapiunt, iidem, turbidis in rebus, plurimum possint: vigent quippe consilia prudentum, quietis tantum temporibus: simulac verò, frequentissimâ in civitate, in quam variæ gentes confluunt furor aliquis nonnullorum animos invasit, paulo momento propagatur, & dira scelerum contagione, velut sacramento, consceleratas voluntates vinciens, immanitate virium impotenter exultat: deinde rapidi instar amnis effusus, quicquid opposueris, facile disjicit aut transcendit: postremò, non nisi die ipsa, in antiquum alveum & directum iter, hoc est, in priscam disciplinam, & ad civile vitæ institutum, efferatam multitudinem revocaveris. Adde verò nunc etiam, si placet, propriam & singularem Gallicæ gentis laudem, ni fallor, & gloriam: Nulla unquam natio Regium nomen & imperium sanctius coluit, nulla majore animi propensione atque impetu, nulla certiore fi-

de,

de, pro Principibus suis stetit. Ab illis cognosci & nomi-  
nari, magnum & fortunatum ducimus: eorumq; aspectu  
(quanquam omnibus pateat) non secus ac novo sidere,  
quotidie delectamur. Quod apud cæteras omnes fere gen-  
tes, pauci homines, eruditi præceptis sapientiæ, conse-  
quuntur, ut in Regibus divinum numen agnoscant, & in  
ipforum securitate, fortunam & salutem publicam intue-  
antur, id nos Galli à natura hausisse videmur: simulatque  
enim editi ac suscepti in lucem sumus, sine doctore, sine  
magistro, in eam unam rem certatim incumbimus, ut de  
Regibus nostris bene mereamur si possumus, aut saltem,  
nunquam nisi divinè cogitemus. Noli quæso putare, hu-  
jus imperii diuturnitatem, quæ omnia, quotquot hæctenus  
fuere Regia imperia, seculis multis prætergressa est, aliò  
referendam esse, quàm ad innatam atq; ingenitam nobis-  
cum observantiam: cujus ea vis olim fuit, ut cum bello-  
rum casibus, nobilissimas & intimas Galliæ partes Britan-  
nus aliquando occupasset, & æquisimo ac lenissimo impe-  
randi genere, quæ res valere plurimùm solet, nostrorum  
hominum studia erga se, & voluntates elicere, sibi que ad-  
jungere sedulò tentasset, aliud tamen nihil triginta anno-  
rum illecebris sit consequutus, quàm ut perpetuus hostis  
haberetur, neque prius finem fecerit metuendi, donec in-  
justa possessione detrusus, illustri satis exemplo posteris  
probaverit, alium nos Regem amare aut pati nunquam  
posse, quàm eum ad quem jure ac moribus nostris fasces  
Regni pertinent. Quæ idcirco à me nunc commemoran-  
tur, Elvidi, ut si forte incidas in eorum hominum scripta,  
qui nos probris & maledictis insectantur, qui crudelita-  
tem nobis exprobrantes, artificiose & invidiose nonnulla  
ex his, quæ hîc nuper acta sunt, colligunt, quò existimatio-  
ni nostræ feritatis notam & maculam inurant, occurrat  
illico tibi, nos veterum Gallorum, aut potius Francorum,  
veram sobolem & progeniem de maximâ laude nolle quic-  
quam majoribus nostris concedere, iisdem rebus commo-  
veri, iisdem perturbari: obsesso, periclitante, aut labo-

rante Rege, facile accendi animos nostros, & ad omnem iracundiam inflammari: in ulciscendis publicis injuriis nec modum laudare nec quærere: nullum gravius crimen putare, quàm læsæ majestatis, denique nullo supplicii genere, nulloque cruoris flumine, odium expleri posse, quo adversus conjuratos æstuamus. Alibi hoc scelus, multitudine reorum, & peccandi consuetudine, leve jam fortasse videri cœpit: apud nos inauditum est, incredibile est, ac portenti simile. Etenim publicorum judiciorum tabulæ, & tot annorum literæ, vix unum aut alterum hujusce criminis suspicione, fallacibus indiciis, leviter insimulant, nedum aliquem constrictum, convictum, & peractum reum nominant: nec certe, ex omnium seculorum memoria tale quicquam cognovimus. Virtus quippe illa Francici generis & seminis labem istam non tulit, ut minus mirum nunc videri debeat, si ad tanti sceleris ac flagitii novitatem, & ad hujus horrendi monstri speciem, ira, quæ honestos imperus tum habere dicitur, cum sunt necessarii, vires suas sensim colligens, & hinc patriæ amore accensa, illinc pietate erga Principem inflammata, tandem velut grege facto eruperit, & vehementius quàm unquam antea, in publicos hostes incubuerit. Verum quicquid de totâ eâ re compertum habeo, narrabo nunc tibi quàm-verissime poterò. Audis sponsonem historiæ, Elvidi, quæ vereor ne non satis huic scriptioni conveniat: literæ enim ad amicos, de rebus privatis & quietis, tenui ac populari stylo contexuntur: accuratum autem scribendi genus, & ille verborum velut splendor, qui ex maximarum rerum tractatione sponte gignitur, cum tantum à familiari & quotidianâ consuetudine abhorreat, in epistolâ laudem non habet. Adde, quòd ex paupertate latini sermonis nunc laboro, cujus divitias domi aliquando habui: tota enim illa purè & latinè scribendi facultas, quæ à te plurimi fiebat, jam pridem exaruit, ab eo scilicet tempore, quo per honestissimos publicorum munerum gradus decurso meliore vitæ spacio, huic tandem foro, tanquam ad scopulum, affixus,

fixus, atque adhærescens, Gallica nostra pessima, Romanis & Græcis longe optimis, cogor anteponere. Sed fas fuerit ex scribendi genere laudem aspernari, homini laudem minimè quærenti, & nunc apud te, alieno periculo peccanti. Aggrediar itaq; quoquomodo possum, ad id, de quo me tibi dicturū recepi, & ultro pollicitus sum. In Gaspare Colignio Admiralio (is enim vir, caput & author conjurationis dicitur) fuere præter nobilitatem generis, & dignitatem, quam ab Henrico Rege amplissimam consecutus est, nonnullæ item aliæ virtutes, aut saltem, ni fallor, virtutum effictæ & adumbratæ imagines: rerum videlicet humanarum usus maximus, in tractandis & explicandis negotiis magna cura, ratio, diligentia, sollicitudo, summum studium, & ingenium, vigilantia, cogitatio, assiduitas, (nullum quippe tempus illi vacabat unquam aut à scribendo, aut à commentatione domesticâ, aut à rebus agendis,) abstinentia quoque ab omni genere voluptatum, quibus adolescens liberius indulserat: non mediocris etiam rei militaris scientia, cognitio atque usus: sic tamen, ut externo & civili bello juxtâ infelix, hoc posteriore magis claruerit: trahendi, quam conficiendi belli dux melior: fortunam autem adversam tulit patientissimè, ac supra quàm cui quam credibile sit, ut gravissimos ejus ictus & vim totam in se arcesse- re, dum nimis contemneret, videretur. Cujus rei documentum, præter cætera multa, hoc habeo, quod, quâ die Erici, Andium Ducis, virtute & felicitate, in Piætonum finibus ad Moncounturium memorabili pugna profligatis partium viribus, & cæso ad interneccionem usque omni pene exercitu, victus & sauciatus, fuga salutem sibi petierit: illâ inquam die, sub noctem placidè & quietè cœnasse, & à cœna, manu suâ luculentas literas ad consociatas civitates scripsisse dicatur, quæ postea sunt interceptæ: in quibus (ut aliud nihil) tranquillitatem certe ingenii, & securitatem animi facile recognoscas. Has, atque alias nonnullas virtutes, seu virtutum simulachra, ingentia vitia (ut ajunt) æquavere: nam qui eum propius, & ex quotidianâ vitæ consuetudine nôrant, sævo, truculento, & immani

animo fuisse affirmant: non parcere, non nisi atrociter minari, neminem laudare, cæteros, præ se, mortales parvi facere, amicorum & propinquorum, quos charissimos habuit, consilia contemnere, non cuiquam credere, plurimum diffidere, cunctatione quadam nimia, & lentitudine, rerum bene gerendarum maximas opportunitates corrumpere, injuriarum haud facile oblivisci, susceptas semel inimicitias nunquam deponere, ulciscendi vias omnes tenere, amplecti, in eam unam rem præcipue incumbere, gloriæ cupiditate ardere, astuare, cujuslibet rei periculum facere, dum quid ei ex eo gloriæ accederet, in potestate perpetua, atq; in imperio semper esse velle ac cupere: ea re potissimum fieri, ut bella ex bellis fereret, ut dissidiorum causas & momenta quæq; minima urgeret, ut pacem in bello, non pacis amore, expeteret, sed quò reparatis & resumptis viribus, bellum acrius multò quam antea instauraret. Regium porro imperium pati ipse non poterat, assuetus jam parere nemini, aut potius, delibata & degustata dominandi dulcedine & majestate, regia fere omnia jam pridem domi conspiciens: nam, ut cætera omittam, altissima in pace, comitatu Regio incedebat: & quod nemini unquam licuisse puto, ex multis Galliarum Provinciis, & ex omni nobilitate Gallica, viros habuit velut custodes corporis sui, quos non ære privato aleret, sed publica pecunia, hoc est, ea, quæ ex religionis suæ hominibus, novo more, privatus, pro libidine cogebat. Piget plura referre, & hoc ipsum quicquid est quod attigi, non nisi necessario feci, ut ea, quæ sequuntur illustria magis, magisq; in aperto sint.

Ad undecimum Calend. Sept., vulnerato ex insidiis, Regiam prope, Colignio, Rex Christianissimus, in Amiralio Franciæ, suam majestatem læsam, pro eo sane ac debuit, ægerrime atq; indignissime tulit: percussorem fugientem illico jubet summa celeritate & cura conquiri, prehendi, retrahi: quæstionem iis etiam mandat, quos severius & diligentius inquisituros existimabat: de re tota, de consilii causa & origine, deq; authoribus & consciis acerrimè quæri, & in eos omnes gravissimo supplicii genere animadverti, ad insigne posteritatis exemplum præcipit. Eadem die Colignium

gnium ex vulnere decumbentem, Regina matre, fratribus-  
 que duobus comitatus adit: eum perhumaniter affatur, co-  
 miter & benignè appellat: suum dolorem, atq; injuriæ & illi  
 & sibi illatæ sensum acerrimum testatur, vindictam & pœ-  
 nam, quæcunq; jure ac legibus sumi possit, à facinoroso se  
 expetiturum pollicetur: si tibi timeat, cubiculum in Regia,  
 aut custodes, si malit, offert: deniq; omnia, quæ vel ad faci-  
 nus puniendum, vel ad ægritudinem animi leniendam, vel  
 ad corporis dolorem minuendum pertinerent, humanissi-  
 mus Rex & optimus, ultrò sponder ac præstat. Ille autè sta-  
 tim vulnere accepto, & qui cum eo erant omnes ferè, Gui-  
 fianos palàm & apertè execrati, Regem ipsum, Reginamq;  
 matrem & Regis fratres, invicem admurmurantes insimu-  
 labant. Accurritur totà ex urbe ad Colignii ædes, præser-  
 tim ab iis, qui ejus sectam rationemq; vitæ in Religione se-  
 quebantur. Clamant omnes, indignum facinus, & certè  
 videbatur: fremunt, frendent dentibus, & nunc Gui-  
 fianis, nunc tacitè Regi ipsi, nunc planius & apertius Regi-  
 næ matri, Regisque fratribus minantur: pars etiam Re-  
 gem adit, atq; ipsi coràm inverecundè & impudenter vul-  
 nus exprobrat. Colignius ipse, ut jam dixi, à Rege aditus,  
 se captum manibus, & mutilatum, capite menteq; validum  
 ac firmum esse Regi ipsi affirmat: quas res hætenus gesse-  
 rit, non manibus eas, sed animo gessisse. Has verborum  
 complexiones & ambages satis interpretabatur oculorum  
 ardor, torvus aspectus, totus denique vultus, irarum atque  
 odii æstus ingentes arguens, ac truculentum atq; immane  
 quoddam scelus portendens. Rex tamen Christianissimus,  
 Reginaq; mater, & Regis fratres, qui tum aderant, nihil ma-  
 li suspicati, hominis iræ, ac justo quem credebant dolori,  
 facile ignoscebant, & ex suo ipsorum sensu, de illo & aliis  
 omnibus, æquissime & humanissime judicabant, quin et-  
 iam suam ipsorum indignationem ad illorum iram adjun-  
 gebant, usque eo dum sequenti die indicatum Regi est,  
 in interiore Admirali cubiculo inita esse consilia de tru-  
 cidando Rege, Regina matre, duobus Regis fratribus, & o-  
 mnibus proceribus, deq; Regio imperio in Gallia abolendo,

aut à Valesiis ad aliam gentem transferendo. Mirari Rex, neq; initio credere, qui sibi conscius esset, suæ in id genus hominum clementiæ, mansuetudinis, benignitatis, & liberalitatis: moranti atq; ambigenti, Index maximi inter illos nominis & spectatæ fidei affirmat, se conjurationi interfuisse, & metu ne, recusans jurare, opprimeretur, cum cæteris jurasse, sed lingua tantum, mentem semper, ubicunq; Regis salus periclitetur, injuratum gesturum: si de Guisianorum tantum cæde actum esset, aut si Regi ac Reginæ matri, & Regis fratribus, quibus vitam sapius acceptam ferat, parceretur; nihil sibi unquam tanti futurum fuisse, ut socios, optimos quidem viros & pios, Regisq; antea observantissimos, sed nunc irâ præcipites, & de auctore vulneris, opinionis errore lapsos, indicaret: sed ita rem esse, nisi Rex sibi, suisq; caverit, omnes inter cœnandum perituros: simul & sperare se, Regem periculum vitasse contentum, iratis & errantibus, non scelere aut nequitia peccantibus, pro suâ perpetuâ clementiâ ignoturum: quæ ne spes eum frustretur, vehementer etiam atque etiam Regem orat, ac flens obsecrat. Confirmatus à Rege, & bono animo esse jussus, exequitur inde, quando, ubi, & à quibus conjuratum sit, qui, quo ordine ad cædem destinati, quæ, quibus ducibus partita ministeria, quæ consilia in omnem eventum capta, sive res successerit, sive non successerit, & sive pax seu bellum cum Catholicis sit futurum. Magnam Regi fidem faciebat Index ipse, quem semper Colignio addictum, & ab ipso probatum sciebat, tum etiam rerum ipsarum suis circumstantiis ac notis expressarum indicia, cum ecce alter index, & tertius, diversis temporibus, nec ita longo intervallo discretis, ex eodem conjuratorum grege, mirantes alii alios, cum se quisq; solum futurum conjurationis delatorem putaret. Idem prorsus constitit, omnibus seorsim auditis, indicium: conjurationis locus ac tempus idem, personæ eadem ac totidem, eadem futuræ cædis hora, eadem munerum inter conjuratos distributio, idem eorundem per eosdem interficiendorum numerus, eadem consiliorum in utramque partem ratio: nihil varium, nihil dissimile, convenientia omnia



omnia. Rex nullum amplius dubitationi locum esse ratus, matrem, fratresque, & de suis consiliariis sapientissimum & spectatissimum quemque vocat, rem, sicuti indicata erat, proponit: tres, quos retinuerat indices, audiri jubet: audiuntur, & rem omnem, ut antea Regi, sic nunc apud Concilium exponunt. Admiratio terrorque omnes occupat, sed magnitudo periculi ad deliberandum & mature præcavendum excitat. Itaque remotis indicibus deliberatur. Senes doctrinâ & usu peritissimi, summis & periculosis morbis, summa & extrema remedia adhibenda censent: occurrendum esse conjurationi quamprimum, & quod nefarii homines molirentur, id confestim in sceleris authores regerendum: ferro rem statim aggrediendam. Rex, Regina mater, & Regis frater uterque, severitatem istam & celeritatem perditorum quidem hominum audacia & scelere dignam esse, sed æquius, & perpetua Regis in eos clementia dignius sibi videri, rem omnem amplius quæri, interim eos, qui conjurasse dicantur, comprehendere. Tum Senes, ab executione hinc incipiendum esse dicere: in re aperta, tot casibus obnoxia, tantoque impendente periculo, non esse longum quæstionis ordinem, & litium moras ac dilationes expectandas: cum audacissimis, iisque plurimis, rem esse: Regem præterea temporis angustiis urgeri, puncto temporis maxima rerum momenta verti, frustra occasionis tarditatem expectari, ubi dies una, vel hora potius, magnam cladem sit allatura. Ad ea Rex, se non salutis suæ tantum, sed famæ etiam & existimationi consultum velle: si res amplius quærat, & conjurati comprehensi convincantur, utriusque simul prospectum iri. Quid enim dicturas gentes exteræ? ad ulciscendas videlicet veteres injurias, prætextum conjurationis esse quaesitum: ita verò sibi à majoribus traditum imperium, sic se à teneris annis ab optimâ matre educatum & institutum, ne quem inauditum condemnaret, ne quem indemnatum necari pateretur: religionem sibi esse, indicta causa de quoquam statuere: malle se dubium vitæ, quàm certum

famæ atque animæ periculum adire: se sperare, quoniam res indicata sit, utrumque, sine cæde, vitari posse. Mitte verò istam spem, Rex nimium clemens, inquit ex illis senibus unus, Conjurati hujusmodi occidi fortasse statim possunt: capi verò, pauci, nec sine cæde, poterunt. Et (ut tu infidias effugeris) certe quartum civile bellum non effugies, ac tum repetentur illæ rapinæ, incendia, direptiones, conflagrationes, ruinae, quibus Gallia tuae adhuc miseræ sunt: & dum conjuratis hostibus nimium parcis, fidelissimorum atque optimorum civium prodigus fueris, & in patriam crudelis, cujus novissimum casum, inopportuna ista clementia accelerare velle nunc videris. Hæc verò prodita abs te patriæ fama, Rex optime, hæc conscientia læbes imprimis vitanda tibi est: nam pulcherrimum & necessarium factum, omnes æqui & boni laudabunt, quod scimus tibi omni jure humano atque divino licere: nec desunt, quæ tibi afferamus, exempla, si res longam potius orationem, quàm celerem executionem desideraret. Age Rex, serva te, serva tuos, serva nos omnes, serva patriam. His motus Rex, cum aliquantum cunctabundus in attentissimâ cogitatione defixus stetisset: Quandoquidem igitur (inquit) ita maxime expedire, ac legibus divinis atq; humanis congruere vobis videtur, ita fiat. Deum Optimum Maximum oro, sic mihi adsit, & rei, quam invitus nunc paro, secundos ac prosperos exitus largiatur, ut ego depellendæ à me, non inferendæ fraudis causâ facio. Tum accersitis iis, qui ad eam rem maximè idonei visi sunt, imperat, ut in eos tantum animadvertant, quorum inter conjuratos nomina delata & perscripta erant, à cæteris prorsus abstineant: maximè verò, ut seditionem popularem ac vulgi tumultum prohibeant: caveant ne in infantes, fontium occasione, sæviatur. Abeuntes ad imperata faciendâ, revocat semel, atque iterum, ac tertio. Ter revocato, ter repetito mandato, non nisi ad extremum, liberius à Senioribus increpitus, in Concilii suasionem & judicio permansit. Ergo tandem stat sententia. Plectuntur Con-  
jura-

jurati, albescente jam die, qui Bartholomæo sacer & fe-  
 stus est: sed ut accidisse plerunque in hujusmodi rebus  
 compertum est, neque Conjurati omnes, & aliquot non  
 conjurati ceciderunt. Quin etiam plebs, infidias Regi fa-  
 ctas, & consilia de urbis hujus vastatione & excidio habita  
 audiens, Principis & suo accensa periculo, nonnullo quo-  
 que novæ Religionis odio, passim, & in quosdam temere  
 sæviit, quos ut religionis, ita etiam conjurationis Coli-  
 gno socios putaret. Quod malum etiam ad aliquot alias  
 Franciæ urbes manavit, & contra Regis voluntatem atque  
 edictum plerique interempti sunt. Nemo id gravius tulit,  
 quàm Rex ipse. Sed hæc est, Elvidi, quemadmodum initio  
 epistolæ posui, multitudinis natura, ut aut ociosa placide  
 quiescat, aut impotenter tumultuata, crudeliter sæviat,  
 modum nunquam teneat. Ac quidem, nunquam desunt in-  
 ter cives ubicunque terrarum, odia, invidia, jurgia, lites,  
 quibus etiam omnibus, ex postremo civili bello, Galliæ  
 nostræ redundabant: vix enim unquã est, ut inter victores  
 victosque, tam citò solida fides coalescat. Itaque dum alii  
 se vindicare Principem existimant, alii suas ulciscuntur  
 injurias, alii inveteratum odium explent, nonnulli etiam  
 prædæ aviditate rapiuntur, Regis æquissimi voluntas ne-  
 gligitur, Regium Edictum non attenditur: Regi ingens  
 doloris materia nascitur, qui nihil acerbius in vita un-  
 quam vidit, quàm eorum, quos servare summè cupiebat,  
 interitum. Sane quicquid ab optimo Rege & civium suo-  
 rum amantissimo proficisci potest, id omne (quantum in  
 ipso fuit) Carolus Rex Christianissimus cumulatissime  
 præstitit. Vix præterierat hora diei prima, quam nos se-  
 ptimam numeramus, cum Edicto cædes amplius fieri ve-  
 tuit, si qui deinceps conspirationis affines esse dicantur,  
 comprehendi jubet: homines armatos, alios vicatim con-  
 stitui ac disponi, alios urbem circumire, qui plebem con-  
 tineant & compescant, mandat: tertia post die in Senatum  
 venit: ex Senatus sententiâ adversus seditionem popula-  
 rem grave decretum facit: author est ut perscribatur, ut

reci-

recitetur illico : adest ipse perscribenti & recitanti : deinceps singulis diebus per Præconem repetitur : cruces tot urbe defiguntur ad tumultuantium terrorem ac pœnam : mittuntur in omnes Provincias ad Prætores aut Proconsules Edicta, quibus cædes districtè vetantur : novæ Religionis homines in Regis fidem ac tutelam recipiuntur : qui eorum quempiam occiderit, ejus caput sacrum esse jubetur : pacificationis Edictum quodammodo confirmatur, decretæ præterea sunt in tumultuantes quæstiones severe : animadversum in paucos scio. Sed quid agas? in tanto tumultu aliter fieri non posse, nec expedire, facile tibi, Elvidi, atque omnibus reip. gerendæ peritis persuaserim. Illud verò omnem clementiam exuperat, quòd in vindicandâ conjuratione, omnium, quæ post homines natos factæ sunt, audacissimâ & sceleratissimâ, atque in summâ ærariî inopiâ, tamen cæsorum bona omnia liberis eorum concessit Rex clementissimus : & quibus non modò patrimonia, verum etiam honorum ac bonorum spem in perpetuum, adimere jure læsæ majestatis & perduellionis poterat, eos paternis bonis donatos, cæterorum nobilium loco habitos, ad omnia præclara & summa reservavit. In unum, ex tanto cæsorum numero, Colignium, conjurationis fontem, jure ac legibus per Senatum Parisiensem agi voluit, ut conjurationem factam esse, maximi & gravissimi Senatus **judicio** constaret. In reliquos autem inquiri vetuit : satis habuit patere omnibus mortalibus, consilia inita esse sui trucidandi, & Regni evertendi : conjurationis pœnam aliam non expetivit, quàm qualem & quantam magnitudo periculi, & celeris remedii necessitas postulabat. Regina verò matris in comprimendis seditiosis prudentiam & consilium, & in conservandis afflictis curam & sollicitudinem, nemo unquam satis dignè scripserit : nihil unquam tam anxium, tam sollicitum fuit, quàm funesto illo die sapientissima & clementissima omnium fœmina : quæ frustra se in bello pacem semper spectasse videbat, si pax erat alterutris perniciem allatura, & si toties conciliatæ compositæ.

positæque pacis laudes suas una dies deletura. Quid heros ille Erricus, Regis frater, Andium Dux? quàm benigne, quàm salutariter laborantibus succurrit? Omnia antea dederat Principis optimi, generosi, fortis, magnanimi, gravis, justis, benefici, liberalis, per omnem ætatem documenta: duo postrema civilia bella, attritis jam Gallia viribus, suâ virtute, authoritate & felicitate confecerat, certa patriæ salus, & unicum rebus nostris perditis & afflictis prælidium: pacem sancitam à Rege, primus & maxime omnium coluerat, Edicto pacificationis supra quàm dici possit, obedientissimus, atque ut belli fulmen, ita pacis vinculum extitit. Jam verò nunc, si de Alenconio Duce, altero Regis fratre, Principe generosissimo, clementissimo, atque optimo, si de reliquis proceribus ac primariis viris dicere hinc instituum, vereor ne longa nimis sit Epistola: quorum profectò omnium incredibilis quædam & singularis non modò publica prudentia, consilium, fortitudo, severitas in cohibendo cæco plebis impetu & furore, verumetiam privatim in periclitantes misericordia, benignitas, & humanitas enituit. Palatia namque Principum, itemque nobilium & potentiorum, imo etiam, mediocris fortunæ hominum domus, omnibus tanquam in Asylum confugientibus patuerunt: ubi non modò tecti conservati que sunt, verumetiam piè, religiose, atque hospitaliter invitati, & omni genere humanitatis liberaliter accepti cultique. Nemo est paulò honestioris loci & conditionis Catholicus, qui non aliquo à se tecto & conservato gaudeat. Omnes item, qui ex illo incendio evaserunt (non autem ita multos absumpsere seditionis flammæ) aliquem ex Catholicis, suum conservatorem, suum patronum & parentem agnoscunt: plurimi que jam hâc tanta nostrorum bonitate, & æquitate, in viam ad nos redierunt: atque hi, illos conservatores suos: illi, hos à se conservatos, mutuo ac pleno jam amore diligunt: nec, post miserum illud & calamitosum religionis dissidium, conjunctiores unquam fuere Gallorum animi: ut seditio illa, quæ tantum boni, & tan-

tantum concordiaē esset allatura (quamvis horribilis) pene tamen optanda fuisse videatur. Hæc, ut scripsi, ita gesta esse, partim mihi ipse conscius sum, Elvidi doctissime atque sapientissime, partim ab iis hominibus accepi, quos rebus omnibus, quæ tum gererentur, interfuisse non dubito, & à spe, metuque ac studiis partium semper liberos esse putavi: nihil autem unquam profectò apud me tantū fuerit, ut sciens fallam. Quòd si ex veteribus Græcis unus rectè olim monuit, nervos esse sapientiaē, non citò credere: in suspicioso isto & maledico tempore, assensiones omnes mihi videntur præcipue sustinendæ, ne fidem & auctoritatem nostram temere auditis adjungentes, opinionibus vulgi rapiamur in errorem, & in maximâ rerum ignorantia versemur. Sed liceat mihi (quæso) nunc apud te parumper eos homines insectari, qui in Aulis Principum orio diffluentes, ex fraude toti compositi, dum per luxum & ignaviam ætatem agunt, falsis & mendacibus sermonibus omnium mentes commovent. Hos ego, ex toto vitæ instituto, famigeratores, prisco nomine soleo appellare: ii verò sunt, qui rumores omnes, & rumorum auras ventosque colligunt, afflant, qui obscœna carmina & famosos libellos spargunt, disseminant, ediscunt, recitant propalam ac memoriter: quicquid rectum in ipsis est aut involutum, si modò flagitiosum sit, copiose explicant: denique, nullo alio scriptorum genere delectantur. Quibus certè, nulla unquam veri, nulla honesti, aut recti cura fuit: unum tantum studium est, ut cum aculeo faceti, in conviviis modestos viros rodant, vel in circulis vellicent, vel apud Principes suos, de matronarum adulteriis, dedecore familiarum, aut quod gravius est, de exterorum etiam Regum ac Principum erratis & vitiis, multa fingendo, multa comminiscendo, & multa mentiendo, semper loquantur, vel in aures infusurent. Quorum profectò hominum ridenda fortasse levitas esset, quanquam cum summa animi pravitate conjuncta, nisi jam compertum nimis haberemus, nullam rem aliam plus asferre detrimenti negotiis

Prin-

Principum ac populorum, quorum persæpe res magna, opinione & famâ inclinantur & vertuntur, nihilque plus habere momenti ad dissuendas & disjungendas Regum inter se ac Principum voluntates & amicitias, quas tueri & ornare optimus quisque debeat amore reipublicæ. Comprimendi itaque mutuis bonorum auxiliis mihi viderentur esse hujusmodi sermones, & coercendi hi homines, qui in alienâ civitate iniquè curiosi, maximorum Regum & præstantissimorum populorum famam nomenque, ultrò, maledico dente lacerant & cruentant. Ego verò, etsi satis intelligo, quid Principi meo in suos cives licuerit, id omne suæ tantum notionis, cognitionis, sui que judicii aut arbitrii esse, tamen quòd eum semper magis existimationis bonæ, quàm imperii memorem & cupidum esse cognovi, nec recusaturum putem quo minus omnes æqui & boni de suis rebus audiant & statuunt, ideo faciundum esse mihi visum est, ut de istis, quæ hîc nuper acciderunt, diligentissimè perscriberem, & Regem Christianissimum ab obtrectatorum calumniis, non tam majestate imperii, quàm innocentia, vindicaret.

Conjurationem ergo factam esse, nemo extra conjurationem ipsam tam improbus, aut tam impudens erit, qui negare audeat. Ac præter illos tres conjurationis Indices, multi Conjuratorum cum cæderentur, exclamârunt se non sine numine pati, quæ in alios machinati essent: comprehensi post illorum cædem alii, non omnia quidem, sed nonnulla, quæ ab indicibus delata fuerant, apertè confessi sunt. Quæ ab indicibus, quæque à confessis, de singulis rebus, enunciata fuerant, ea deinde omnia per Senatuum quæsita, explorata, perspecta, patefactaque sunt, prout actis Curia testatum & consignatum continetur. Quòd si non indicibus, non confessionibus reorum, non ipsa rerum fide, non Senatus ipsius judicio convicta & constricta conjuratio teneretur, sed suspicionibus & conjecturis ad eam perveniendum: parum credibile, scilicet, esset, in istis hominibus tantum scelus, qui in luce Franciæ, atque  
adeò

adeò in oculis omnium gentium, Regem, ex occultis primùm infidiis ad Meldensem urbem, deinde aperto bello aggressi sunt, & in hâc civitate inclusum satis longâ obsidione, quamvis irritâ, oppugnarunt? Quid verò eis defuit, quod si adesset, eos conjurasse crederemus? audaciâ ne? quæ per annos tredecim partim clâm insidiando, partim aperte & propalâm cædendo corroborata, omnia, quæ periculosa & capitalia per se sunt, levia jam, facilia, secunda, ludos denique sibi esse ducebat: Tum autem confirmatam consuetudine & vetustate audaciam, Colignii vulnerati dolor atque ira ad omne scelus efferaverat. Age verò, quæ spes illis aut fiducia potius defuit? perficiendi ne sceleris? cum omnia factionis capita & audacissimi quique, ac manu promptissimi, in aulâ essent, quod nunquam antea accidisse putem: Rex contrâ imparatus, inermis, qui spectacula tantùm cogitaret, & celebritatem illam atque elegantiam Ludorum, quos ornandis sororis suæ nuptiis, sumptuosissimos & magnificentissimos paraverat. An præmiorum sceleris perpetrati? qui trucidato Rege & fratribus, non modò securitatem sibi in perpetuum pariebant, sed Regnum amplissimum invadebant, aut ad quos libuisset, sine ullo negotio transferebant. An Regni per scelus adepti, diutius retinendi? qui jugulatis Principibus & optimatibus, plebem facile jugum subituram credebant: Reges externos, nobis fœdere vel necessitudine conjunctos, qui tantum nefas vindicare possent ac vellent, nimis longo intervallo à nobis distitos, aut Turcico bello, vel etiam suo ac proprio, impeditos sciebant: Germanis se & Anglicis, quibus sæpe mentiendo imposuissent, verba daturos sperabant. Quid si cogitata non perfecissent, an deerat illis impunitatis spes, illecebra ad peccandum omnium maxima? qui toties conjurantes, toties rebellantes, impunitatem consecuti fuerant: quibus conjurationes & infidiae, quæ cæteris hominibus capitales & exitiosæ esse solent, solis erant impunitæ ac liberæ, solis gloriosæ ac præmiis & honoribus dignæ. Horum igitur de conjuratione  
 fini-



si nihil indicatum, nihil confessum, nihil perspectum, nihil convictum, nihil iudicatum esset, tamen eos magis non conjurasse, quàm conjurasse, contra quàm in aliis hominibus, miraremur.

At enim de indemnatis, indicta causa, statuendum non fuit. Hæc quidem Regis erat, Reginaeque matris, & fratrum Regis opinio: sed vicit tutior Seniorum atq; Optimatum sententia, ne Regi, dum in conjuratos quæstionem parat, conjuratorum ferrum visceribus hauriendum esset. Sic accepimus Romanos Senatores, in Lentulo, Cethego, Gabinio, causæ dictionem non expectandam censuisse, sed Consuli authores fuisse eorum quamprimum interficiendorum. An igitur, quod in liberâ civitate Consuli, ex auctoritate Senatus licuit, id Regi, in Regno suo non licebit? Sed exempla non moror, ubi jus certum & exploratum est. Docemur autem ipso jure Romano (quod tu imprimis, Elvidi, tenes) non solum nostro Gallia, in criminibus & iudiciis non eadem, qua cæteros, conditione esse illos, quos statim puniri publicè interest, ut seditionum concitatores, ut duces factionum: atque in seditione prærupta, factioneque cruenta, vel alia iusta causa, quæ moram non recipiat, etiam minoribus Magistratibus, à quibus appellatio est, licere punire, deinde ad Principem scribere, præveniendi periculi causa. Quid igitur, ipsi Principi, in extremo suo, suorumque omnium, & totius imperii periculo, in factiosos ac perduelles fas non erit? Verùm, immensus fortasse cætorum numerus nonnullos offendit. Primum, ne millesima quidem pars cecidit ejus numeri, quantum isti vociferantur: deinde, omnes qui, præter conjuratos, interfecti sunt, in scio Rege, invito, prohibente, dolente, & fortasse vindicaturus, interempti sunt: In conjuratis autem, quantacunque multitudine cæsis, non quos ceciderint, sed quot conjuraverint, attendendum esse, facile omnes mihi concedent: atque si maximè, qui à Romanis, legiones non solum decimatas, sed interdum rotas & integras securi percussas, & à Mose sanctissimo viro, multa

D

homi-

hominum millia trucidata meminerint. Adhuc igitur omnia constare video, Conjuracionem factam esse, pœnas non solum expetendas fuisse, sed eo modo expetitas, quo per leges licuit: nec in numero cœsorum ullam Regis culpam esse: contraq; summam in eo laudem, quod ne omnes quidem conjuratos interfici jussit.

Nunc ad ea, quæ vani homines, de nescio quo Regis in Amiralium odio, & de ejusdem dissimulatione diuturna falsò jactant, paucis respondendum est. Imprimis illud dico, ubi conjurationem factam esse constat, non esse de odio quærendum: nec enim, si odiosus erat Regi Colignius, ideò minus in eum conjuratio animadvertenda fuit: &, si de conjuratione dubitaretur, tanto verisimilior in Regem conjuratio fuerit, quando citius in eum conjuravit quis, cui sit odiosus, quàm in eum, à quo diligatur. Sed nemo unquam profectò, posteaquàm Rex pacificationis Edicto, novæ Religionis homines pro civibus habere voluit, ullum ejus odium in quendam eorum vidit, non Colignius ipse, homo omnium perspicacissimus, & suspiciosissimus. Tantam autem in adolescente Rege dissimulationem, quæ tot viros, tam astutos, tamdiu, in tanta familiaritate, usu, consuetudine, tantaque sermonum & negotiorum varietate fefellerit, existimare, hominis est in rerum naturâ, atque in hominum vita & consuetudine parum versati. Ne sexagenarius quidem veterator callidissimus, non Sinon aliquis, non Ulysses, vel minimam tantæ dissimulationis partem, ad breve tempus præstiterit. Quod si (contrà quàm natura patitur) tam veteratoria calliditas in juvenilem ætatem cadere posset, tamen ingenio ad omne integumentum & malitiam à natura composito, plurimisque & maximis simulationum & fraudum artificiis, & consuetudine fingendi, fallendique perpetua corroborato, opus esset. Rex autem Christianissimus, naturâ ingenuus, simplex & candidus est: quin etiam generosâ quâdam iracundiâ & calore apertior, quàm fortasse Regi opus sit: ita verò per omnem vitam assuevit, ut liberius ac promptius

prius animi affectum indicet, nec studia sua, aut voluntatis inclinationem, sponte se proferentem, occultare aut celare ullo modo queat. Quare desinant inepti homines atque imperiti, de adolescente Rege ad omnem ingenuitatem nato, & per ætatem omnem liberaliter ad honestam simplicitatem educato, simulationum & calliditatum portentosa loqui: desinant odii ignes & ardorem ibi fingere, unde nullum fumum quisquam tamdiu viderit.

Sed illud de odio Regis & diurnâ dissimulatione imperitè dictum, apertissime vincitur & refutatur ea Regis ingenua professione, quæ conjuratorum cædem statim secuta est, & quæ tabulis Curiaë continetur. Nisi enim conjurationem esse factam constaret, cum posset Rex cædis auctoritatem defugere: quæ (malum) in tam astuto ac vafro (ut isti volunt) homine simplicitas, vel stupor potius fuit, per prætorianos milites, ac custodes suos cædem facere, & statim se ejus auctorem profiteri? Quasi verò non infra omnem astutiæ mediocritatem fuerit, de tam multis alios summittere, qui rem perficerent, aut per certos homines plebem commotam & actam, in eos quos perdere vellet, immittere, aut etiam per eosdem ipsos custodes rem noctu perfectam abnegare, & à se in quosvis alios suspicionem derivare, ac deinde, ira ad tempus simulata, tandem placatum & exoratum, Edicto crimen abolere. Verendum (scilicet) erat, ut pauci illam provinciam susciperent, quam infiniti fortes viri veterum injuriarum memores, sibi, ni Regis auctoritas contineret, ultro sumpsissent: aut ne plebs Parisiensis Colignio infestissima, rem, præsertim ducibus magnis accensa, segniùs exequeretur: aut etiam ne abolitio, in Regis defensoribus ac propugnatoribus semel usurpata, monstri instar obtineret, quæ in oppugnatoribus ac perduellibus ter repetita, familiaris jam & ordinaria videretur? Nemo Regi neganti non credidisset, cui ante conjurationem patefactam & convictam, vix creditum est affirmanti, cum ipsi fidem cæteris in rebus semper falsa veritas astruxerit: in hoc autem facto, sua elementia

& lenitas, & singularis quædam in id genus hominum benignitas abrogaret. Obscura nox omnia texisset, & suspicio ad alios quosvis potius quàm ad Regem pervenisset. Quæ igitur, obsecro, calliditas ista fuerit, quod celare velis ac possis, id ultrò profiteri? An non isti in æstimanda aliorum astutia & calliditate, suam ipsi simplicitatem, hoc est, amentiam & stultitiam, produnt?

Verumtamen quoniam audire de odio tantopere volunt, fateor sane Regem ex civilium bellorum acerbâ recordatione, in hujusmodi homines, odii causas plurimas & maximas habuisse, quas tibi, scio, & bonis omnibus probatum iri. Quater jam antea in Regis & totius Regni perniciem conjuraverant: ter Franciam totam exteris gentibus aperuerant: bellum impium ac nefarium Regi; patriæque intulerant: magnam civium partem à Rege, Regē à civibus, cives à se invicem disjunxerant: horum corpora ferro, igni, præcipitio, illorum animos rebellionē & omnium scelerum immanitate corruperant: sanctissimis imprimis templis ac delubris vastitatem & ruinam; presbyteris & clericis, post cruciatus & laniatus ferissimos, necem attulerant: religiosissimis sepulchris revulsis, corpora Regum, & Principum, canibus voranda objecerant: omni denique jure divino atque humano violato, infinita scelera patraverant, quibus singulis innumerabilia supplicia deberentur. Hæc in patria. Quid foris? Ut in patria cives, sic foris socios fidelissimos & optimos, à Christianissimo Rege, sic Regem à sociis, socios à se invicem, alios suspicionibus ac simultatibus, alios cruentis seditionibus distraxerant: cives cum suis Regibus, Reges cum civibus suis commiserant: omnia confuderant, miscuerant, perverterant. Atque hæc triplici tumultu. Quid? pacem quomodo Colignius coluit? Scimus cum exteris nationibus per eum sponsiones & pactiones factas: fœdera vetera contra pacificationis Edictum continuata, nova etiam iusta. Quid delectis tota Francia habitos referam? quid descriptiones equitum ac peditum tertio quoque mense ad eum  
mitti

mitti solitas? Quid dicam ei suas Indictiones, suos Quæ-  
stores, suum fiscum fuisse? Quid foedus Hispanicum atten-  
tatum, ut qui pace se diu stare non posse videbat, patriæ  
ruinâ se stabiliret? Sed nihil attinet ulcus istud modò tan-  
gere, & civilia mala commemorando renovare, quorum  
memoriam deleri oportere arbitrantur omnes patriæ a-  
mantes cives. Ego, quod ad me attinet, totum istud de-  
fensionis nostræ non leve caput, malo omittere, quàm non  
indulgere moderationi animi mei: aut vix dum bene ob-  
ductam reipub. cicatricem, asperius refricando, dolorem  
mihi ipse facere. Utinam adversa nostra perpetuâ oblivio-  
ne obruantur: utinam de illis fileant omnes literæ, nul-  
lusque sermo perennis sit: utinam reticentia & silentio  
eorum hominum qui vivunt, discordiarum nostrarum  
causæ, rationes, & eventa apud posteros ignorentur, ne  
fortè exemplum de moribus nostris trahant. Interea verò  
nos, singularem Christianissimi nostri Regis sapientiam,  
humanitatem & bonitatem imitari debere fateor, qui Co-  
lignium Amiralium, à quo se læsum, ac violatum sæpissi-  
mè credebat, cui uni omnia mala quæ vidimus, quid au-  
tem mali non vidimus? accepta ferebat, non modò secu-  
rum & salvum, ad conjurationem usque, optimâ fide præ-  
stitit, verum etiam donis amplissimis ac muneribus, ut ho-  
stis animum sibi conciliaret, cumulavit, nec dum liberali-  
tatis & benignitatis finem facturum, nisi conjuratorum  
gladios prope districtos, & jugulo jam imminentes & qua-  
si hærentes vidisset. Spirante profectò Colignio (ut totum  
illum de conjuratione locum aliquando concludam) cum  
nihil Francia pacis neque secum, neque cum exteris esset  
habitura, Deus illum hominem in eam voluntatem im-  
pelli passus est, ut Regem atrocissimis minis tandem la-  
cesseret: Deus (inquam) illum, Deus adigit, ut nefariâ  
conspiratione perniciem sibi accerferet, & patriæ salutem,  
quo uno modo poterat, maturaret. Idem (ut spero) con-  
sequentia eodem tenore fortunabit, & Franciæ tot bellis  
ac seditionibus afflicta, discordiarum ac tumultuum, au-  
thori-

thoribus nunc tandem sublatis, pristinam pacem & tranquillitatem, cum Legum, Magistratum & Judiciorum auctoritate restituet: fidem, justitiam, pietatem & humanitatem revocabit: juventutis raritatem sobolis propagatione replebit: omnium bonarum & laudatarum artium studia, quæ tot seditionum tumultibus prostrata jacent, excitabit: suam militibus disciplinam, opificibus industriam, agricolis gratum almæ telluris cultum, mercatoribus tutum ac liberum com meatum: & florentissimo quondam, ante religionis dissidia, huic Regno veterem dignitatem, splendorem & amplitudinem restituet.

Quamobrem omnes, in quorum manus hæ nostræ literæ, tuo munere fortasse venturæ sunt, Elvidi sapientissime, hoc loco monendi mihi videntur esse, ne Dei Optimi Maximi beneficium nobis invideant, ne Franciæ salute & a nefariæ conspirationis periculo divinâ liberatione dolent, ne præclarum ac necessarium Regis factum calumni-entur: neve falsos calumniantium rumores, credulitate suâ alant: ne eum denique inhumanum & crudelem esse dicant, aut existiment, qui humanissimos & lenissimos patres, sua in omnes cives indulgentia, & in novæ religionis homines clemencia & benignitate superavit. Clementissimus Rex, toties devictis perditis illis civibus, à quibus erat obsessus, oppugnatus, atque omni contumeliâ violatus, seipsum illa difficiliore ac nobiliore victoria vicit: injurias omnes voluntariâ oblivione contrivit: perduellibus non solum criminis liberationem & veniam dedit, sed pristinam etiam dignitatem restitutam amplificavit: quæ qui facerent, semper à veteribus illis sapientibus ( ut tu non ignoras ) non tantum summis viris æquati, verum etiam supra omnem mortalitatem habiti, simillimi Deo judicati sunt. Nunc verò, hæc singularis & divina virtus, quæ nullis unquam historiarum monumentis, nullis poetarum carminibus satis laudari & celebrari possit, non modo suâ laude carebit, sed veteratoria quædam ( proh nefas ) & quæ in nullum hominem cadere possit, fraus habe-

habebitur? Liceat mihi ( quæso ) exclamare in epistola. O ingratos hominum mores! ô tempora præclarissimis quibusque virtutibus infesta! ô miseros his temporibus homines virtute ac meritis egregios, nisi suâ virtute tantum, ac non hominum gratia atque opinione, nitantur, nisi virtutem ipsam ( ut par est ) sui ipsius præmium ducant. Ante conjunctionem vindicatam, Rex Christianissimus unus erat istis clemens ac fidus, unus ingenuus, unus simplex & apertus, unus istorum solatium, tutela, præsidium, unus amor ac delicia, unus omnia. Est hæc hujus seculi labe & macula, in præstantibus viris & optimè de genere humano meritis, non modò res pulcherrimas oblivisci, sed etiam nefarias, inauditas, quæque per rerum naturam & hominum vitam esse non possint, suspicari: Regum imprimis laudatissimorum famam incessere, veras ipsis virtutes detrahere: vitia falsa & incredibilia affingere. Nulla virtus usquam tuta, nulla majestas sancta, nulla dignitas inviolata. Nullòne merito suo, nullisne hominum judiciis unquam in arcem tutam, ac velut sanctam, excellentes virtute ac meritis viri, & sapientissimi Reges pervenient, ubi virtus & majestas, si non laudata, at saltem tuta sit? Quod si ab improbis, si ab imperitis ac levibus obtineri non potest, at certè à bonis & constantibus, & rerum peritis, præsertim ab omnibus Principibus, ac Potestatibus facilè Regem Christianissimum spero consecuturum, ut apud eos, sua ipsi fama, suum nomen, & amicitia in perpetuum constet: quos insuper in Regis optimi rebus adversis & fractis, suis integris & secundis, cogitare decet, quàm sit varia vitæ mutabilisque ratio, quanta fortunæ volubilitas, quanta casuum humanorum varietas, quanta sæpe fit in iis, qui parent, non solùm levitas, inconstantia, mobilitas, sed etiam contumacia, pervicacia, infidelitas atque perfidia: accidere posse ( quæ rerum humanarum vicissitudo est ) ut & ipsi aliquando simili tempestate jactati, Regis Christianissimi, non solùm æquitatem & moderationem in æstimanda sua injuria, sed etiam opem atque auxilium in depellendo ac

propulsando, periculo expetant. Nulla unquam ætas tot seditionibus, tot in Principes rebellionibus & conjurationibus infamis fuit: quòd si ad temporum iniquitatem & fatalem quandam hujus seculi calamitatem, accedant Principum inter se invidia, simultates, aut etiam odia, quomodo tandem Principalis auctoritas & majestas erecta consistat, ac non statim præcipiti casu ruat? Omnes autem populos quibuscunq; pareant, & quocunq; Politia genere contineantur, cogitare & secū reputare oportet, nihil esse tam populare, nihil tam multitudini salutare, quam pacem, quietem, & ocium, quibus sine obedientiâ perfrui non possunt: nihil contra ipsas perniciosius, quam seditiones, & imperiorum detrectationes: nihil exitiabilius, quam Colignios, seditionum, & inde miseriarum omnium, auctores: motus civiles & tumultus populares, Principibus molestos quidem illos, at rarò calamitosos esse: multitudini autem semper ac statim miseros atque funestos: plebem omnium primam expilari, everti, laniari, conflagrare, & (quòd gravius est) ista omnia pati in speciem quidem, ut sibi nonnihil boni, aut malorum allevationem quærat: re autem verâ, ut turbarum ac factionum ducibus, scelerum impunitatem, aut etiam opum & honorum accessionem, nimis credula & simplex afferat. Multas Colignius Regi, Reginae matri, Regisq; fratribus molestias exhibuit, necem etiam, quam Deus avertit, machinatus est, ac plebem Gallicam omni genere malorum miseram reddidit: imò de nullis pejus meritas est, quàm de suæ religionis hominibus, quibus (licet in vero Dei cultu errantibus) tamen modestis sane ac quietis, indignas vexationes ac misérias attulit, dum illos à Rege, Regem ab illis disjungit: dum illos in Regem, Regem in illos armat: dum plebem Catholicam in multos ejusce religionis imbelles, inermes, pacis etiam & otii amantissimos, odio seditiosorum accendit. Quæcunq; incommoda, quæcunq; mala, novæ religionis homines, toto Regis Christianissimi regno passi sunt, ea omnia à Colignio & paucis aliis profecta sunt. Postea enim quàm Colignius, religione in fa-

ctio.




etionem versâ, illos cum Catholicis commisit, agiq; ceptū est, utra pars esset, non utra Deum melius sanctiusq; coleret, tum demum extitere illa non solum in armatos iudicia, proscriptiones, praelia, sed in inermes & quietos, plebis Catholicæ convicia, pulsationes, expilationes, ex urbibus ejectiones, interdum etiā cædes & trucidationes: unde vindictæ atq; odia implacabilia, quæ etiam in pacis tempus redundarent, & perpetuam turbulentis viris seditionis materiam præberent. Nemo hominis morte tantum boni consecutus est, quantum illi ipsi, qui eum amanter luxerunt: quī eo vivo non modò sine curâ quiescere, sed ne spirare quidem sine metu poterant. Qui si aliquādo sapere incipiant, vel potiùs, quia jam plurimi sapere incipiunt, ejus memoriã perpetuò oderint, & quot eo vivo mala subierunt, tot, eo nunc extincto, bona ab optimo & humanissimo Rege expectabunt & consequentur. Regem Christianissimum, sicut jam dixi, natura clementem & lenem genuit: clementiã & lenitatem innatam, sapientissimæ atq; optimæ matris educatio conservavit & auxit: voluntas & consuetudo perpetua corroboravit: severitatis personam illam nuper conjuratorū furor, & periculi impendentis magnitudo ad breve tempus imposuit, quam ut invitus assumpserat, ita periculo depulso, statim, & eo ipso die, quo cœperat, sponte suã deposuit: reliqua vita, clementiam semper à se cultã, nuper ad punctū temporis pro communi salute leviter suspensam magis, quàm intermissam, retinebit. Utinam reliquiæ pristini furoris, quæ citeriorē Aquitaniam adhuc exagitant, tam facilè sanentur, quàm facilè Regi fuerit, suæ perpetuæ clementiæ & bonitatis partes constanter tueri. Quòd si quorundã pervicacia & obstinati animi duritas clementiæ locum esse sinat, severus fortasse cogetur esse Rex, qui ita meminertit parcere subjectis, ut non obliviscatur, debellare superbos: crudelē autem ut nulla res unquam antea fecit, sic nulla in posterū faciet, non civiū suorum perfidia, non pertinacia, non temporum iniquitas, non malevolorū sermo.

Hæc mihi de Rege meo, quem penitus novi, affirmanti,

facile credes tu Elvidi, qui sponte tuâ, de optimo Rege sentis optimè: bonis quoque, & æquis, spero me probaturum: reliquis etiam, quorum animus æger est, ut verum persuaderem, hac epistola laboravi: quæ si longior fuit, quàm natura causæ & ratio temporis postulabat, aut studia illa tua literarum, in quibus tanta cum laude & famæ celebritate versaris; abs te peto ut hoc ignoscas mihi, præsertim cum neque apud te sæpe in hanc partem peccare soleam, & in eo ipso quod nunc pecco, Maximorum & Illustrissimorum virorum non modò auctoritate, verum etiam periculo, factum meum tueri, si velim, possim. Ego qualis semper fuerit Rex, talis ut habeatur, vehementer opto: speroque fore, ut veritatis sol, integritati & innocentia Gallicæ brevi illucescat. Quòd si tardius, quàm par est, acciderit, adversus improborum calumnias & levium hominum credulitatem obfirmati innocentiam nostram, & meliorum ac sapientiorum opinionibus & judiciis nitentur, nec ullis paucorum iniquorum sermonibus ab æquitate & moderatione animi discedemus: tantum abest, ut nos Regis Christianissimi, Reginae matris, Regis fratrum, Optimatum omnium, & totius Regni, unquam pœniteat.

VALE, LUTETIÆ PARISIORUM CAL.

NOVEMBR. 1572.



RESPON-

RESPONSIO STANISLAI  
Elvidii ad Epistolam ornatissimi cujusdam  
viri, scriptam de rebus Gallicis & edi-  
tam Anno Christi M.D.LXXIII.

*Hunc esse Joachimum Camerarium existimo,  
ductus autoritate, de quâ supra, & styli si-  
militudine.*

**E**pistolam tuam, vir ornatissime, de reb. Gallicis, his di-  
ebus accepi, in scriptam illam, quidem nomini meo,  
sed quæ prius divulgata in aliorum manus pervene-  
rat, quam mihi redderetur. Ut autem copia & elegantia lu-  
culentæ & venustæ orationis epistolæ illius, magna me vo-  
luptate affecit, sic & ipse legens, & aliorum sermones de iis  
rebus, quæ exponuntur, audiens, non potui non esse solici-  
tus de bonâ existimatione tuâ, & desiderare mihi notæ pru-  
dentia specimen, & lætatus sum, in editis libellis non esse  
nomen tuum expressum, ut magis dubiâ suspitione, quam  
certâ cognitione, non admodum honesta judicia fierent de  
autore talis scripti. In quo illo quidem summum studium  
& maxima industria, & omnis ingenii vis, & doctrinæ fa-  
cultas adhibita appareret, ut esset expositio splendida atq;  
speciosa & præclara, sed inter hæc cuncta nutaret labaretq;  
veritas atq; fides. Erantq; qui similem illam epistolam per-  
hiberent comtæ & omni genere mundi sexus illius mulie-  
ri exornatæ ac redimitæ, pigmentis etiam atq; fuco colora-  
tæ, quæ & animo levi sit atq; impudico, & corpore morbis  
confecto, & occultâ fœditate turpi. Non enim negari pot-  
est, quin epistola tua accuratissimè elaborata, & si qua esse  
sermonis latini potest his temporibus eloquentia, eâ sit illu-  
strem in modum prædita. Quamvis tu artificiosè, ut ho-  
mo solers & doctus, tibi caveas, cum splendorem abesse,  
sicut deceat in epistolâ, scribis. Verùm non mihi solum  
sed etiam aliis tuæ Ironiæ & accisimi & simulationes, dissi-  
mula-

mulationes non sunt ignota. Ac ne quid ego te celem, maximus amicorum, quemadmodum ais, tuorum: fuere, qui illum tantum adhibitum laborem congerendis egregiis verbis, & adeo curiosam compositionem, & operosam extructionem, magis turgida & inflata orationis faciem, quam grandis & amplae prae se ferre perhiberent. Sed haec fortasse minus ad rem. Ego autem non possum non valde admirari, & mecum requirere, quidnam in mentem tibi venerit, aut omnino te impulerit ad patrocinium causae istius suscipiendum, longo tempore exagitatae, & in quam penè oculis exposita iniquitas nefaria, & scelus execrandum senesceret. Tam multorum narrationibus veritate rerum gestarum demonstrata atque testata, palamque facta tabulis quoque, ut dicitur, & signis. Non parvum neque leve esse oportet, quicquid est, quo commotus ista aggressus es. Non enim puto pecuniâ te corruptum, aut honorum promissis adductum, ut tam malam causam defendere conareris. Nisi fortè, id quod est verisimile, cupiditas gloriae ad ostentandum, quantum dicendo valeres, te incitavit, ut tanquam in famosâ materiâ experireris vim & facultatem naturae tuae, & eruditionis atque doctrinae singularem efficacitatem. Quemadmodum Polycratem quendam fecisse accepimus, accusando Socratem & defendendo Buliridem. Quam tamen defensionem improbens Isocrates, aliâ quâdam suâ correxit. Esse autem istam levitatem & tales ineptias haud recentes, te non fugit, cum illi antiqui eloquentiae magistri, Gorgias atque Protagoras etiam hoc genus tractaverint. Etsi autem facile esse multorum mirifica scripta ostendunt, propositum quamvis falsum & fictarum fabularum argumentum commentitiâ oratione explicare; non est tamen viri boni, & virtutis sapientiaeque laudem appetentis, mendaciis potius comprobandis, quam illustrandae veritati operam dare. Cum longè praestet, vera simpliciter asserere, quam falsa efficere callidâ disputatione probabilia. Si praesertim falsitas manifesta sit, & explorata passim coarguatur, neque  
ad

ad ullum utilitatis fructum in hac vitâ pertineat, ac potius malorum damnorumque det causas. Quod dico ob præclara & admirabilia scripta Fabularum veterum, Tragicarum præsertim, & similia. Quæ etsi confictæ sunt, bonas tamen & utiles admonitiones complectuntur, & exempla tam ad honestatem invitantia, quàm à vitiis deterrentia, proponunt. Docent denique: Quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non, secundum versum Horatianum. Cætera aut sunt futilia atque nugatoria, aut nocentia etiam ac perniciofa. Ut autem unius, qui in opinione est virtutis & sapientiæ, vera atque honesta sententia, multum autoritate suâ publicè privatimque pròdesse solet; sic ejusdem alicujus falsa atque turpia commendans oratio valde nocet, & imponente simplicioribus de persona existimatione, & fallente eos verborum lenocinio. Neque verò tam reprehendendum, secundum Tiberii Cæsaris dictum, manum porrigere aliquem Medico majorem sexagenario, quam & manuum & ingenii operas præbere improbis atque sceleratis ad facinorum nefariorum excusationem. Venio autem nunc post responsionem ad procemium epistolæ tuæ, ad rem ipsam, commemoraturus deinceps ea, & quæ mihi in mentem venere, & alios audivi dicere. Neque enim tam hebetes oculorum acie sum, neque adeo stupido animo, ut non veluti per nebulas quoque aliquid cernam, & videam considerando consentanea ac dissentanea. Plerosque vero, qui & tua & aliorum similia, scripta legissent, sic affectos esse animadverti, ut contrarium eveniat iis, quæ vos conamini efficere. Non enim modo eripitur his non admodum bona existimatio de vestra natione, sed augetur mala quoque. Multi etiam repetendo antiqui versus, tibi, ut puto, non ignoti vaticinationem: Gallorum levitas: De levitate, inquit, ferri res poterat, sed cætera, quæ non volo recensere, & quæ jam in tenetris & triviis jactantur, sunt intolerabilia. Quæ igitur deinceps referentur, ea sic accipies, ut & meam sententiam demonstrantia, & indicantia aliorum, non  
vane.

vanorum neq; improborum aut malevolorum hominum, sed virorum gravium bonorumque & de vestra natione bene sentientum. Atque ordiar ab illa tua sane bella enumeratione virtutum Amiralii, & vitiis oppositis, quasi imitatione Livianæ historiæ celebrantis Annibalem. Sed nescio quo pacto in vitiorum mentione, odii quidam aculei eminent, & conjecturæ malevolentia. Illud autem mirabile, quod facis Amiralium callidum atque versutum & valde suspicacem, qui non crederet cuiquam, plurimumque diffideret, & eundem mox quasi persona alia indutum producis simplicem peneque stolidum, & nimis credulum, qui fidem habuerit iis, quos tam implacabili odio prosequeretur, qui susceptas inimicitias nunquam deponeret, & sese ita accedendo exitalibus plagis ipse unâ cum consciis irriverit. Sed de hoc postea plura dicenda erunt. Hoc & mihi & plerisque aliis abs te facile est persuasum: Istud nefariæ cædis facinus non imperante neque instigante Rege, esse patratum. Quem tamen itemque Fratres si modestius atque consideratius laudares, magis ita bonâ illis fama conciliaretur, & celebraretur gloria. Ut enim exquisita convicia odii significatione, sic immodicæ laudationes assentationis specie, fidem dictis detrahunt. De Reginâ ideo videntur supervacanea inculcata præconia, quod vestra peculiari lege fœminas gubernationis regni verat esse participes. Cardinalem Lotharingum & Amalium, & istam quasi prætoriam cohortem fuisse præteritam silentio, quibusdam admirantibus, aliqui propterea hoc factum videri aiebant, ne ineriorum istorum arcana attingerentur. Verum his modo in medio relictis, ad firmandum causæ accedatur, quo ruente atque convulso labuntur & concidunt argumentationes tuæ universæ. Hoc enim ponis: Conspiratum conjuratumque esse ad Regis, fratrum regionum, Reginæ cædem, qui omnes simul cœnantes necarentur: Ad regni alienationem ab illâ familiâ & occupationem. Ejusque impie & detestandæ conjurationis caput & principem fuisse Amiralium. Atque cum

ret

res in præfente discrimine verfaretur ; ita antevertendum  
 fuiffe & avertendum imminens malum animadverfione re-  
 pentinâ in hoc meditantibus. Crimen eft horrendum, & sce-  
 lus non unâ morte, fed fi fieri poffet, quamplurimis puni-  
 endum. Sed quo illud majus atrocifque crimen eft, eò  
 falſa iuſimulatio ſcilicet audacior atque impudentior, &  
 graviore pœnâ digna. Niſi autem res, de qua agitur, proba-  
 tur & fit plana, verbofa loquacitate non obtinetur cauſa.  
 M. Cic. traditur, gloriatum eſſe, quod in cauſa Cluentianâ  
 fucum feciſſet iudicibus. Oratio ea eſt in medio, argumen-  
 ta ſunt crebra, atque de negotio ac controverſiâ non  
 inanes verborum ſtrepitus, ſed omnia ſic confirmantur, ut  
 ſtabilia conſiſtant, neque locum adverſario ad labefactan-  
 dum relinquunt. At tu tantum tamque incredibile crimen,  
 impij ac capitalis facinoris, breviter poſuiſſe fat habes, &  
 ita condemnas declamitando mortuum reum, inſultans  
 cadaveri illius, & jacentem calcans. Non tu quidem ut  
 mihi perſuadeo, ex animo, ſed iſtam vocem alijs commo-  
 dans, quocunq; ſane conſilio. Conſpirarunt inquis, au-  
 tore Amiralio & conjurarunt, ſeſe Regem & regios ſimul  
 cœnantes interfecturos eſſe. Jurisconſulti veteris ad Ty-  
 rannicam petitionem ut impiæ cædis factum excuſaret,  
 narratur reſponſum : Non tam eſſe in promptu parricidium  
 defendere quam patrare. Itidem profecto non eſt tam  
 facile demonſtrare rem, quam commemorare. Indices in-  
 quis tres conjurationem detulerunt, & aliqui conſcii poſt-  
 ea confeſſi ſunt. Si de aliquibus iu ludo talario fraudatis  
 verba faceres, frigida eſſet talis actio. Qui illi indices  
 fuere? Quid hominis hic, iſte, ille? Quis in eorum dicta  
 interrogando inquisivit, Illi vero conſcii, quid narra-  
 runt, ſi quid tamen narrarunt, ſua ſponte, non per crucia-  
 tus extortum, non pollicitis elicitum. Quid? nonne con-  
 ſtat quosdam, ex quibus duo nominantur Cavanius & Bri-  
 comaudius, tormentis excruciatos etiam ſpe factâ vitæ, ſi  
 de conjuratione confiterentur, mori maluiſſe quam ſe &  
 alios tam horribili mendacio gravare. Jurisconſultus eſ,  
 judicia

judicia exerces, causas cognoscis. Te ne igitur istis de rebus tantis adeo negligenter scribere? Jam ista tali & adeo non solum scelere infami, sed periculo formidulosâ conjuratione tam subito cogitata deliberataque, & illo loco tractata, concepta, inita: Quid constituto decretoque facinore, ad perficiendum provisum est atque instructum? Cur & quâ spe aggressio rei dilata? Ventum erat ad hilaritatem nuptiarum ab invitatis. An est obscurum, quo apparatu ac comitatu adventum sit? Jam isti, si fuerint numero quingenti, sescenti, plures etiam; tamne stupidi immoderantes fuere, ut neque cœnantes regio uno loco, & præsentibus circum ipsos semper non paucioribus quam mille D. satellitibus armatis, in urbe, ut ipse fateris, eis infestissimâ, ubi uno quasi momento plura quàm XXX. millia armatorum excitari possent, rem talem & tam præsens discrimen habentem aggredierentur. Et tu Regem imparatum & inermem fuisse, non vereris, affirmare? si de puerorum inimicitis & insidiis isto modo differeres, haud scio an ridiculum videretur ipsis pueris. Atque confugis ad hoc: Deum scilicet adegisse Amiralium, ut perniciem sibi accerferet, & cætera, quæ illo loco declamitas. Sane scimus nihil contingere accidereque posse rerum omnium, nolente Deo æterno. Sed vide, vir ornatissime, nunquid converti possit ab aliquo id, quod abs te tam confidenter dicitur, Deum æternum permisisse, ut multa adversus pietatem & religionis sanctitatem in istâ urbe, multa in regno contra Jus, fas, fidem, consulta, tentataque, quæ velando, regendo, excusando adhuc palliarentur, tandem aliquo insigni perfidiæ & impietatis facinore palam commisso, ad animadvertendû quasi promulgarentur, & tam omnium mortalium indignationem commoverent, quam Dei vindictam irritarent. Si enim placet, ordiamur ab Amboisensi negotio, & relinquamus superioris temporis deplorandas miseras. Cum quidem unius facti recordatio, nunc etiam animos omnium maximis doloribus afficiat. Teque non esse tam inhumanum plâneque ferreum scio,



scio, quin ipse quoque reminiscendo ingentem sentias tristitiam & vix lacrymas teneas. Non enim possum neque debeo credere aut suspicari, te fuisse approbatorem nedum adiutorem Annæ Burgii injustissimæ condemnationis, & crudelissimæ necis. Cui quasi clementiæ benignitas ea impetrata est, ut post durissimi carceris caveam ferratā, prius strangularetur, quam ignis eum ardor attingeret, cum neque juris legitimo processu condemnatus, neque ullius delicti accusatus ne dum convictus esset, homo integerrimus & innocentissimus, & pietate, probitate, doctrinā præstans. Et cui hoc solum crimen illatum est: Quod æternam veritatem patefactam verbo Dei, esse veram, certam, firmam, diceret, & contraria huic falsa, dubia, instabilia. Cumque ei objiceretur contumacia adversus regia edicta, & Regiæ Majestatis contemptus: Quæsit quinam esset summus Rex, & huicne an alteri obediendum? Suo autem regi in terris, an non obnoxie is pareret, qui pro illius salute ac vitâ gubernationeque felice & tranquillâ assiduo deprecaretur Deum æternum, ut impietate & superstitionibus exterminatis ex regno ipsius, & Rex & omnes ceteri compleantur cognitione veræ & sanctæ religionis, quâ sola veneratio Dei illi grata, & hominib. salutaris contineretur: paratus & promptus fortunas resque omnes suo regi & Domino in terris, si opus sit, impendere & attribuere, summo studio & propensissimâ voluntate, ad interioris etiam usque tuniculæ exuvias. Quorum tunc non administratione & operâ, sed autoritate & principatu, Rege Henrico mortuo, omnia sint acta atque gesta, nunquid est meridiano, secundum proverbium, sole clarius? Cum quidem aliter pleraque, si Regis vita conservata esset, eventura fuisse existimentur. Non ignoro, quid ad ista cuncta dici soleat, & tu satis plane indicas, Catholici nominis repetitione. Hoc enim illud est, quo ab hostibus veritatis cœlestis quasi specioso amictu vestitur, quicquid impie fraudis & mortiferi erroris, & exitiosæ falsitatis, nec non vitiorum, turpitudinis, deformitatis invasit in sanctæ Ec-

E

cle-

clesiae Jesu Christi doctrinam atque disciplinam, illius pu-  
 ritatem corruptelis, hujus severitatem indulgentiis de-  
 pravans atque pervertens. Quid vero? an obliti penitus  
 sumus, quid Jurati promiserimus, cum baptizaremur: Re-  
 nuntiare nos omnia, quibus Diabolo inserviat? An est  
 alia huic acceptior & astrictior servitus, quam assentiri fal-  
 sis & contrariis cœlesti veritati? quam vel sedere in cathe-  
 drâ pestilentiae, vel in hâc sedentes stipare calliditate soler-  
 tiae, aut vi armorum? An aliâ re fides præstatur religiosius,  
 quam voluntate intentâ in legem Domini, & in hac medi-  
 tatione continua die & nocte. Nihil valet contra ista ulla  
 potentia dominationis, nulla consensio aut consuetudo  
 longi temporis, nullæ humanæ leges, constitutiones, de-  
 creta. Quæ colligi multifariam solent, ab iis, quibus non  
 expedit quærentibus opes, jucunditatem, gloriam in hâc  
 vita, convelli aut quassari id folium, quo omnis illorum  
 bonorum spes nititur, & intorquentibus statim ad levissi-  
 mas vitiorum notationes, terribilem hæreseos vocem, &  
 isto quasi Gorgonis capite ostenso ita putantibus se vel  
 formidine avertere, vel tanquam lapides efficere mutos  
 posse, adversantes suis consiliis & actionibus universos.  
 Interea non cogitatur, quanti clamores sanguinis profusi  
 ad Dei æterni judicis & vindicis aures perveniant, & qui  
 sit oculi illius conspicientis cuncta respectus, ad pertina-  
 cem impietatis pravitatem, & audaciam exercendi nefari-  
 am crudelitatem. Quod si omnino crederetur, esse Deum  
 (quemadmodum in scenâ aliquando pronunciatum est)  
 qui quæ nos gerimus auditque & videt, saltem accurate,  
 tanquam à malitiosis servis solet, ista tractarentur, ut Deus  
 metui videretur, quem audirent lentè illum quidem ad  
 pœnas exigendas accedere, sed ad perseverantes in delin-  
 quendo tarditatem gravitate compensare. Verum (con-  
 troversia enim ista ejusmodi est, ut ipse Deus æternus hanc  
 dirimendam recepisse videatur, non solum dijudicando  
 sed etiâ exequendo) revocetur eò oratio, unde longiuscu-  
 lè sanè evagata abscessit. Ambrosiense igitur negotium  
 qua-

quale obsecro est? An non ejusmodi, ut evidenter indicet Regis & regni inimicos & turbatores. Qui tum Rege Francisco Juvene, in sua manu habuerint Rempubicam, & ipsum Regem potestati suæ subjectum, nonne demonstratum est verâ & dilucidâ expositione rerum illarum, per venturâ ad posteritatem quoque, cum infamiâ cumulante alias ignominia notas, atq; dedecore eorum, qui consulere & ac egerunt sempiterno. Nonne deprehensum est crimen sumtorum contra Regiam Majestatem armorum esse falsum atque fictum? Sed fuerit aliquid susceptum dignum animadversione. Quid defendet quæso? fidem jurejurando datam fractam, & illâ fretos inque plagas implicatos, ita comprehensos & crudeliter esse interfectos. An poterit ulla dies silentio obruere vocem morientis Oliverii, contestantis Deum & homines, accusando Cardinalis Lotharingi sevitiâ & impietatem erga patriam, cujus ipse lacrimabilis incendiî causa & fax esset, & exprobrantis oblatam injustissimam mortem Burgio, & aliis, Regni Gallici fidelissimis custodibus, & Regis propugnatoribus? Considerentur deinceps ea, quæ facta sunt toties, illis XVI. Mensibus, quibus Rex Franciscus vixit, non ab ipso Rege, sed ab iis, qui Regiâ majestate abutentes suas opes suamque autoritatem stabilire & augere voluerunt, contra piorum consiliorum salutare sententias in conventu Fontainebleaviensi dictas. Quo tempore toto, quid non dolosè, fraudulenter, insidiosè, malitiosè, consultatum gestumque est? Ad Principis Condæi usque contra fidem datam contraque fas & jus comprehensionem atque custodiam. Sapiens es, prudens es, etiam bonus vir, quemadmodum mihi persuadeo, neque immeritò ornatissimi viri nomen divulgatæ exprimendo apud vos epistolæ præpositum est. Fuerit aliquid mali tanquam ægrotantis regni, istamne medicinam adhibere convenit? quâ malum malo sanaretur? Immo non sanaretur, sed fieret curatione majus atque insanabilius. Quid aramnarum secutum sit in vestro regno, non modo deplorat præfens ætas, sed decantabunt

E a

lacri-

lacrymabilibus querelis posteris. Malorum autem & calamitatum causas, de initiorum peccatis, non de eventis æstimari par est. Prætereantur interjecta media, contra vestras leges, eam potiss. qua regni vestri diuturnitas nititur putatur, gubernationis regiae quasi hæreditate delatâ ad sexum muliebrem, cuius aliud est officium. Nosti enim quid casta ac sapiens femina Penelope, apud Homerum audiat:

*Vade domum, exerceque tuas ibi res operasq;*

*Ad velam & fusum, famulas iussisq; coherce.*

Erat de Principe Condæo pronunciatum solenni declaratione, vim & injuriam innocenti factam esse, cum summo ipsius honore & maximâ adversariorum ignominia, non repressit hoc vel pudore affectos, vel aliquâ ex parte debilitatos inimicos veritatis celestis, & statum regni conantibus labefactare. Pellexeruntque hi commoditate sermonis & promissorum magnitudine, sibi que adjunxere fratrem Principis Navarraum Regem. Cum antea quasi anguinâ compositione gratia inter Principem Condæum & Ducem Guisium reconciliata esset: Et Poisienſis actus conventus, cuius consilium & apparatus tractatione & exitu frustrante, ita deinde mala malis nitentia creverunt. An est verò obscurum, quid Rege puero & Regina matre femina, aliquot post annos variis ambagibus & mirificis involucris consultum actumque sit? Quid ille celebratus triumviratus causarum ad extremas miseras & ærumnas dederit? Quæ facta permutatio commutatioque fuerit edictorum Regionum? Quibus artibus fides promissorum conventorumque elusa? Quid? an ignoratur, quâ simulatione à Cardinali Lotharingo & fratre ejus ventum sit in Germaniam congressus colloquiique gratiâ, ad optimum & illustrissimæ pietatis atque virtutis Principem VVirtembergicum? Et mox, quo pacto ipsæ fraudes sese indicaverint, crudelissimo vel potius immanissimo scelere nefariæ cædis Vassiacenæ? Omnium aliqui adhuc testes supersunt. Omnia literis mandata. Omnia clara, evidentia, certa. Rursum itaque bellum est commotum, & atroce prælio  
com-

commisso in Nordmaniâ, & mox interfecto Duce Guisio pax rursus facta. Quæ sane aliquot annos sic duravit, ut magis ad renovandum bellum, quam pacem conservandam pleraque instituerentur. Sunt quidem omnes mortales naturaliter ad vitia quam virtutes procliviores, & peccata in hac vitâ rectis factis crebriora. Quocirca præteritos errores communes ducere æquum est, & cavere in posterum, ne in eisdem denuo aliqui deferantur, videreq; ut undecunque boni cujuscumque causa detur, quo bono priora incommoda corrigantur. Id tum non esse factum, ac potius fovendo odia ac similitudines, occasiones quæsitæ novarum cladum, quæ illis annis quatuor non tam firmæ & certæ pacis, quam dubiarum & instabilium induciarum, suscepta atque gesta sunt, declarant. Post quos annos bellum crudelius magisque cruentum recrudit. Nullius ferociam aut importunitatem, multo minus sevitiâ aliquorum & omnis humanitatis oblivionem defendo. Flagitia atque scelera execranda esse fateor. Sed cum ad arma ventum est, præsertim civilia atque intestina, secundum versus Tragœdiæ:

*Mars cæcus est, nihilq; quicquam providet,*

*Instar ruentis cuncta conturbans Suis.*

Semper autem judicatum est: Dum bello & mutuâ oppugnatione res geratur, partes adversas omnibus viribus anniti utrasque, ut, hostibus victis, superiores sint, & ad eos opprimendos affligendosq; omnia machinari rectum esse ac decere: Pace vero factâ & reconciliatâ gratiâ, nihil pactis conventis & jurejurando prius & antiquius esse oportet. Atque sunt miserrimi & infelicissimi ducendi, quicunque fidem non servant iis, qui ipsis fidem habuerunt. Bello sanè teterrimo atque calamitosissimo renovato, & propositis edictis Regiis, quibus priora, de quibus, pacis & quietis in regno gratiâ, convenerat, abrogabantur, & mandabantur exterminationes eorum, qui non observarent docendo & exercendo per omnia religionem Papalem, mirifice sunt animi plurimorum commoti & irritati. Qui

semper expetivissent inprimis, non Romanae religionis, sed verae atque sinceræ incorruptum usum. Is verò cum antea sæpè ambigue concedendo impeditus fuisset, tunc planè & præcisè denegabatur. Non regis quidem (quem admodum credibile facit de regii sanguinis majestatis honorifica existimatio) sententiâ, sed aliorum, quorum ille arbitrio regnabat, & qui suis excogitationibus prætendebant nomen majestatis ipsius. Nam de Regina matre, quid dicam aliud? quam quod Maro ait: varium & mutabile, semper Femina. Ut bonis autem & fortibus viris infirmum est atque fixum, potiorem esse atq; magis expetendam honestam mortem vitâ turpi: Sic iis, qui Christo fideles esse volunt, & huic sese suaque omnia devoverint, neque cruciatus tormentorum, neque mortis atrocitas tanta offerri potest, neque tantus incuti ullus metus, qui ab eâ ipsos sententiâ dimoveat, quam veram esse statuunt, & impellat ad violandam fidem. Etsi verò in falsâ quoque opinione pertinente ad religionem aliqui interdum pertinacissimi reperiuntur, & audent in illius assertione vitam quoque profundere, superat tamen multis modis constantia in confitendo & tuendo Christianæ fidei sanctitatem, ut solam in veritate & unicam religionem & Deum æternum debito cultu venerantem, & piâ observatione spem conservantem salutis & vitæ æternæ. In illo jam tertio bello interfectus est deditus atque captus ictu scelerato Princeps Condæus. Atque post ingentes clades, & depopulationem, & summorum virorum tantum interitum, quantum nulla irruptio atque vis externorum hostium afferre potuisset, tandem pax quoque ita facta est, ut jurisjurandi illa religione sanciretur, & res ad aliquam tranquillitatem de horrendis tempestatibus reducta, cum bona spe omnium, fore deinde regnum quietum. Et secundum ea de quibus conditiones acceptæ & regie Majestatis edicto corroboratæ exstant, dignitatem existimationemque & potentiam, florentem denique & pulcritudinem pristinam facile esse recuperaturum. Quæ omnia quâ fide & integritate suscepta actaque essent,

essent, etsi multæ suspiciones datæ sunt, ut tamen manifestum fieret, & tandem quasi fecaretur ulcus illud, & erumperet tabifici mali collectio, si quis putet ( sicut ante est dictum ) Deum æternum permisisse, ut illa ad istum modum gererentur, utque jam omnia essent aperta atque perspicua ac certa, & plane intelligeretur in istis compositionibus nihil prorsus esse firmitatis, neque jurata pacta, secundum Homericum proverbium, rata fidaque esse inter homines & Leones: Nunquid hujus quoque suspicio atque conjectura consideranda perpendendaque esse videatur? De minis quidem, quibus Amiralium ausum esse laceßere scribis Regem atrocissimis, oratio tua teste caret, & dicuntur, fortasseque brevi dicentur alia. Illud certe est inhumanum, quod ea, quæ ille afflictus sævissimo vulnere, interque cogitationes ut par est, sollicitas, graviter & fortiter pronuntiavit, malè narrando in deteriorem partem interpretaris, & addis illas amplificationes accusatorias: Ardorem oculorum, torvum aspectum, vultum iratum odii que ingentes æstus arguentem, & truculentum atque immane quoddam scelus portendentem, quasi tu quoque præsens tunc fueris, & illa spectaveris atque attenderis. Difficile est decernere, quid omnino incitaverit animum tuum, ut tanta odii acerbitate vel etiam ferocitate efferveret, insultando Amiralio, cui saltem mortuo civi parcere æquitatis & pietatis erat officium. Tu quidem certè, quo tempore Rex, Regina matre fratribusque duobus comitatus, quem admodum est in epistola tua, Colignium adit, & ea commemorantur, quæ referuntur ibidem, eò, nisi fallor, adhibitus non fuisti. Audivisti igitur illa ex aliis, quibus sanè, in proclivi est existimare, istorumque te interpretem esse equidem optarim noluisse. Rursum autem quam male cohereant tuæ narrationes vide. Si in caput & vitam Regis, Reginae, & duum fratrum, fuisset conjuratum ab Amiralii factione: An non putet aliquis tunc illos solos in conclavi uno, præsentibus ex Amiralii familiaribus non paucis, potuisse pugionibus confodi. Sed non fieri hoc potuisset.

tuiſſet abſque præſente ipſorum exitio. Fortaſſe potuiſſet, inter tumultum ſubitum illis diffugientibus. Verum non potuerit: Qui ſeſe conſulto in periculum vitæ iſto animo atque propoſito conieciffent, fortaſſe rebus omnibus deſperatis tunc illud adiiffent. Præſertim clamantes, frementes, frendentes, minantes non ſolum manifeſtis inimicis, ſed Regi, Reginae, Regiſque fratribus. Non caret autem exemplis hic furor, & iſta feritas quædam, ruens in mortem ante oculos verſantem, dum id quod animo conceptum eſt perficiatur. Eſtq; impetus hic potiffimum in deſperatorum animis vehemens. Verum quid opus eſt argumentatione? Nihil omnium quæ de iſta conjuratione dicuntur, non modo ullam ſpeciem præ ſe fert veri, ſed quocunq; modo ſimilis veri conatûs. Falſitate autem & mendacio factum nullum defenditur neque excuſatur, ſed fit gravius atque odioſius. Jam de conjurationis tempore & loco hæret aqua, ut dicitur. Primum enim videris ſignificare conjuratum eſſe, poſt Amiralium ſcelerato icſtu ex inſidiis, ſicut ais, vulneratum, & de eâ conjuratione factum indicium ſequenti die. Et Amiralium tamen facis autorem & caput conjurationis. Sed cur res dilata, aut quæ poſt iſtum caſum inferendi moram facinori cauſa fuit? Cum accelerare potius omnia hortarentur. Jam illud ſenum conſilium, poſt Regiarum cogitationum ſane bellam recitationem, quale obſecro narratur? Cui te quidem interfuiſſe ipſe narrationis contextus innuere videtur. Plato ubi, inquit, impudentes ſenes ſunt, ibi Juventus omnis verecundiæ non expers plane eſſe nequit. Atque multo verius eſt, ſi à ſenibus Reges & Principes Juniores malè doceantur, neceſſe eſſe, graviffimas plagas & maximas clades, rebus communibus infligi & afferri. Qui Regiam voluntatem pronam ad clementiam atque manſuetudinem debuerant cohortatione ſua incitare, eos inde avertentes animum Regis adoleſcentis convertere ad ſævitiam atque injuſtam duritiem, quæſo te, Mi tu (nolim enim perſcribendo nomen tuum, ſi qua forte, ut ſæpe fit, epifſtola hæc  
in me-



in medium proferatur, meo indicio infamari) quale homines nō modo prudentes sed omnino sani esse dicent? Profecto si qui uspiam, senes istiusmodi delirant, & ii sunt, unde exire solet iniquitas. Sed magnitudo periculi, & sollicitudo regis regionumque vitā, salute, incolumitate, providentia, suadere ista illos senes coëgit, & unius ex his, nimiam Regis clementiam coarguentis capitalem expressit orationem, qua Rex instigatus imperavit eadem miserandam invitus. Quā ille, quam miseriam calamitatemque averti ausus est affirmare, ne eā ipsā majorem atrociorēque commoveret, nisi imprudentissimus esset, poterat vereri. Ad periculi verò mentionem quod attinet, haud scio an ullum tantum offerri periculum possit, quod virtute praediti & fortes ac boni non adeundum potius censere debeant, quam bonam existimationem atque famam amittere. Jam majorum gloriæ atque claritatis ostentatio, quam vana est expers imitationis. Quæ autem major excellentiorque est laus majorum illorum, veritatis & fidei conservatione atque custodia? Quam autem hoc ridiculum est in re tam seriā? Indicium factum non statim potuisse tantas vires in tali urbe repente contrahi, quibus jam afflictio & debilitato Principe conjurationis, qui loco se movere non valeret, reliqui facile è vestigio opprimerentur, caperenturque, non enim dicam profligarentur, si auderent repugnare. Quomodo enim repugnarent? aut quibus armis ad vim faciendam fuerunt instructi? Quid est post tam diram carnificinam repertum uspiam talium armorum? Utinam delegisses aliud argumentum, quo facundiæ tuæ copiam ostentares. Neq; talium commentorum adeo accuratā elocutione, & Regiam majestatem, & consiliorum regionum pristinam gloriam extollendo collaudandoque, ad intelligentes violares atq; pollueres. Delaberis mox ad conjecturas, concessione verbosā illa quidem, sed causæ non leves secures impingente. Quid enim conjecturis opus, aut quis unquam has persequendas esse putavit, ubi certa essent indicia, reorum confessione, ipsā rerum fide, iudicio.

denique convicta res ac constricta? Nam in conjiciendo & suspicando, dubia & inexplorata versantur; at deprehensa, comperta, perspecta, iudicio definita cumulare suspitionibus & conjecturis, non solum inutile & supervacaneum est, sed ejusmodi, ut crimen ambiguum efficiat, & extenuet accusationem, & damnationem ipsam condemnet. Quam leves autem illæ tuæ conjecturæ & quam futiles suspitiones sint, disputatione non indiget, cum undique eæ vacillent & allucinentur, inculcando jam pridem ventilata obijciendo ac refutando. Quando autem unquam planum est factum? Regem vel insidiis vel manifestâ vi petatum & oppugnatum, ab iis, de quibus tunc contrucidatis istam illi præclari Areopagitæ sententiam tulerunt. Nonne extant de istis rebus & contestationes ipsorum contrariæ, & narrationes longe eas aliter referentes. De audaciâ quoque tot annis corroborata idem dicere licet. Atque cætera quoque, inque primis imparati & inermis Regis, id quod supra etiam notatum est, mentio, tam sunt nugatoria, ut persequi illa pigeat, & tui, nomine talis declamationis me pudeat. At enim postulas, ut assensiones omnes de isto negotio sustineantur, & veteris ex Græcis unius præceptum memoras: Nervos esse sapientiæ non temere credere. Quod tam diligenter mones, id scilicet ad tuas etiam accusationes, defensiones, laudationes, vituperationes quoque pertinet: Sed fidem tibi haberi vis, qui partim hæc ita gesta esse tibi conscius sis; partim ab iis hominibus acceperis, quos rebus omnibus non dubites interfuisse. Quid alii, non sibi consci sunt, non viderunt, non audierunt, qui diversa narrant, commemorant, scribunt? At permulti certius etiam atque propius quam videndo audiendoque, persenserunt: Tam qui inaudita crudelitatis rabie jugulati, strangulati, in fravium abjecti interierunt promiscuè, senes, juvenes, pueri, matronæ, virgines: Quam qui elabi effugereque mortem potuere, & quocunque modo conservati sunt, inimicorum etiam, id quod tu quoque scribis, qui saltem homines essent, misericordiâ, tam horrendi furoris procellis.

procellis commotorum: Qui extorres vagantur omni hu-  
mana ope destituti, & ex sola benignitatis divinae spe pen-  
dentes. Nam de iis, quos in viam rediisse scribis, lubricus  
est locus. Si in illam enim rediere, unde decesserant im-  
pulsus certa notitia, quod ea duceret ad interitum, quam  
conscientiam habeant, & quam bene sibi consuluerint, vi-  
derint ipsi. Melius sane actum esse, forrasse dicit aliquis,  
cum iis, qui retinentes assensionem & confessionem veri-  
tatis salutaris cognita vel mortem constanter obiere, vel  
patienter tolerant exilii calamitatem. Sed redeo ad sau-  
cium depositumque Amiralium, & huius amicos. Quo ille  
vero vultu esset, aut qua facie? hilarine & lata? In tanto  
dolore ex vulnere corporis, & animi ex cogitatione confi-  
derationeq; praesentis impendentisque miseriae. At amici  
illius quid? an filerent aut ariderent ad tam indignum  
sceleratum, nefarium facinus. Neque iste profecto clamor  
aut haec minae fuere meditantium de conpiratione adeo sin-  
gularem caedem, id enim esset prodere seipsum. Verum Ami-  
ralius fons, ut tu ais, conpirationis, crudelissime intermi-  
scitur, nihil tale metuens & expertus Regiam clementiam  
multiplicem & eximiam, tam beneficiorum ante copia,  
quam tunc benignitate exquisita verborum. Interfectus  
projicitur de fenestra, ab inimicis illuditur cadaveri petu-  
lantissime, & facta perhibentur alia, quae a me silentio praer-  
teribuntur, cum praesertim literis mandata extent quae-  
dam, quae magis atque certius indicant concepti sceleris &  
patrati facinoris fraudulenta consilia, & impios auctores,  
quam ulla in literis tuis jactata nomine, re nequaquam de-  
monstrata indicia conpirationis falsa & ita conficta, ut ni-  
hil prorsus cohareat in tota expositione. Imponis mihi  
defensionis onus adversus eos, qui vos probris & maledi-  
ctis insectantur, qui crudelitatem vobis exprobrantes ar-  
tificiosè & invidiosè nonnulla ex his, quae nuper acta sunt,  
colligant, sic enim loquitur epistola tua. Age subjice et-  
iam quid dicam, quarantibus primùm de indicibus, pro-  
clerint ne illi an producti sint? Vera ne an falsa indica-  
verina?

verint? Quæ personæ, quæ conditiones, quæ genera hominum fuerint? Multa autem sunt, quibus aliqui adduci solent & facile possunt ad fraudem alteri struendam: Odium, invidia, æmulatio: Multa quibus conducì, pecuniæ honorumque præmiis & aliorum emolumentorum expectatione. De confessionibus autem minus habeo, quid respondeam interrogantibus, cum nemo nesciat, quæ fides habenda sit quæstionibus, qui sæpenumero tortores defatigantur, & ipsa deficiant tormenta in plerisque, non ut verum inveniatur, sed ut cruciatu intolerabili coacti aliqui falsum dicant. Quid? nonne promissionibus tunc id quod expetitur, parvo negotio obtinetur? At tunc, supra nominati duo sunt, viri virtutibus maximis, & imprimis pietate præditi, ex quibus nullis tormentorum, cruciatibus, nullis pollicitationibus, non vitæ, quæ cuique carissima est, retinendæ spe propositâ, elici falsi iudicii illâ de conjuratione vox ulla potuit. Qui palam coram multitudine ingente, ignaros penitus sese esse insimulatæ conjurationis ad extremum usque spiritum affirmarent. Plurimum possunt callidæ malitiosæque occultationes & violentæ depressiones in omnibus rebus atque negotiis, sed nonnunquam tamen emergit veritas, & eminet suppressa innocentia. De his igitur quid narrabo percontantibus? Quid? cum constaret, ut ais, factam conjurationem, id quod nemo nisi illius particeps, negare audeat: cur non sunt indicati statim comprehensi? Nam quod tu scribis, quam leve & stolidum est: Ne dum in conjuratos quæstio pararetur, Regi conjuratorum ferrum visceribus hauriendum esset. Gravis est & vehemens oratio, sed res evanescit atque dilabitur. Dies unius tuæ epistolæ narratione conceditur de patefactâ conjuratione deliberationibus, quibus tandem non accusatorum, nedum convictorum aut condemnatorum cædes decernitur, & à Rege imperatur. Concederetur hujus temporis dimidium, concederetur non integra hora, nunquid si minus ad manum jam esset armatorum hominum, confestim cogi congregarique

rique in promptu fuisset, tantum, quantum ad illum vitæ Regiæ insidiatorem cœtum corripendum satis superque esset, cum præsertim jam ab Amiralio, quem tu conjurationis fontem facis, nihil ad cæteros consilii auxiliique derivari permanereque posset. Quid? si ista cædes Regio imperio facta est, cur regis scriptis publicè propositis, quæ edita etiam atque pervulgata sunt, id ipsum negatur, & in autores contra arbitrium Regis, & hoc inscio, Amiralii inimicos factum confertur? Exemplum quidem Catilinariæ conjurationis quàm non quadrat, quàm res tota est dissimilis? Indicati comprehensi fuere, traditi in custodiam, coniecti in carcerem. Crimen exquisitum, detectusque nefarius conatus, & facinore, non opinione, sed oculis, non suspicione sed manibus perspecto deprehensoque, sententiâ judicioque convicti illi sunt condemnati capitis, atque ita demum de eis est sumtum supplicium, quod ipsum tamen consuli invidiosum postea fuit. Sed tua prudentia discrepantiam videns reliquit exempla. Nulla enim idonea & apta sese scilicet obtulerunt. Et nescio quod jus commemoras, quod neque extat, neque esse potest ullum; non auditos, non legitime accusatos, non manifesto, probato, liquido scelere, arripi quantumvis suspectos & trucidari. Permite istam potentia libertatem, cujus omnino vita ullo momento tuta futura est? Tyrannidos & injustæ dominationis atque libidinis hæc est licentia, non concessa potestas legitima gubernationi. Plectuntur, inquis, conjurati albescente jam die. Cur non comprehenduntur pridie, non illa media interjecta nocte? Seditiosi, dices, erant, conscelerati, conjurati in regiam necem, ad regni mutationem. Auditur crimen atrox execrandum, nefarium. Verum quomodo est crimen potius quam maledictum atque convicium, id, cujus nunquam in judicium vocati rei, non modo non convicti, sed ne auditi quidem fuere, & tum demum condemnati, cum de eis supplicium esset sumtum? Quod autem odiosum sanè seditionis nomen intorquetur, Ubi appareat in Amiralio atque sociis hujus? In eò certe conspicietur, qui illum nefarium globum in ipsum emisit. In iis  
 elu-

elucet, qui ut est in edictis atque scriptis regiis, per vim  
 in domum, ubi depositus esset Amiralus, irruerunt, &  
 ab ipso initium fecere omnem indignitatem superantis &  
 terribilis cædis ac carnificinæ, ad cuius tu quoque mise-  
 randam speciem te obstupuisse, ingemuisse, indoluisse, co-  
 horruisse totum scribis: Qui tunc gesta ad me excusas at-  
 que defendis, & à me excusari defendique postulas. Qui  
 possum? in tanta discrepantia eorum, quæ de illis rebus  
 circumferuntur, & ex tua epistola verbis illa quidem egre-  
 gie constructa, sententiis vero sane levi atque dissentanea.  
 Quin etiam perscripta publice & edicta Regia alia aliud  
 narrant, & elapsi ex illo veluti incendio, quæ commemo-  
 rant, adeo sæva atque dura sunt, ut qua oratione mitigen-  
 tur & molliantur, ego comminisci & invenire nequeam.  
 Mea quidem opinio de Regia majestate ea est, quæ debetur  
 generis, sanguinis, gradûs excelstitati. Par enim est ac decet  
 hanc ubique locorum ac gentium cæteros venerantes su-  
 spicere, tanquam divini numinis vicariam terreno impe-  
 rio hominibus gubernandis. Neque ego audio Regi male-  
 dicentes, neque, si qui hoc faciant, eorum probo audaci-  
 am. In istam verò tempestatem delatum & talibus agita-  
 tum procellis non possum non humanitatis pietatisque  
 sensu miserari, sive ille avertere prohibereque, tunc cru-  
 deliter & flagitiose facta, quemadmodum tu fateris, non  
 potuit, sive noluit, vel illo rerum turbine coactus naufra-  
 gium tam sævis turbantibus æquora ventis, ut ait poëta,  
 aspicere, vel deceptus & errans & sui minus compos, tam-  
 senibus quam aliis nimirum, artificiose, fortasse & mina-  
 citer, inculcantibus & suggerentibus ea, quæ non sinerent  
 perfici ab illius clementia, mansuetudine, & probitate co-  
 gitata atque proposita. Sed de Rege à me quicquam scribi  
 non oportet, cuius vel nomen coercere omnes sinistras  
 locutiones debet. De ipsa re, de crudeliter & flagitiose fa-  
 ctis, ut tuæ epistolæ verba repetam, ut alii perhibent, sce-  
 lerate & immaniter, utinam concederetur similiter disse-  
 rere, & argumentatio suppeteret, quâ illarum tegeretur  
 ali-

aliqua saltem ex parte turpitudine atque foeditas, aut reperiretur color, quo picta minus evidens esset deformitas. Recedatur sane à Parisiensi furioso scelere, & ab egressis funesta illa & inquinata fluenteque cruore atque tabo urbe, perveniatur in alia oppida peragrandò Regnum. Quid profuit ullis uspiam, ea quam prædicas misericordia benignissimi Regis? Alios omnino ista consuluisse egisseque res loquitur. Et ita misisse edicta de continendis à cæde manibus, ut simul diversum innuerent, secundum fabulam, de pastore ostendente protenso digito, qua vulpes aufugisset, & oculorum nutu latebras indicante. Prætereantur aliæ urbes, quis non cohorescit totâ mente audiens patrata Lugduni & apud Tolosates? Quæ sunt eiusmodi, ut, cum superent omnium scelerate, nefarie, impie factorum unquam atrocitatem feritatemque & horrorem, quomodo meritas pœnas à Justitia numinis divini autores administrique eorum deprecari possint, difficile sit cogitatu. Quibus tamen cum prætendatur Majestatis Regiæ nomen, quis non agnoscens eas laudes, quibus ille in tua epistola celebratur, non doleat sed deploret maximo in mœrore, Talis Regis adolescentiam tam impudenter infamari, & existimationem lædi, & his peccatis gravari, quæ sint ad Dei æterni judicium discriminis plenissima, ad hominum cognitionem nova, inusitata, detestabilia. Externus sum, neque est ea dignitas autoritasve mea, neque personæ splendor, ut magnopere referat ullius, quid ego sentiam aut loquar. Hoc autem vere possum affirmare: Me vestræ nationis semper fuisse cultorem, & si quid in hoc momenti est, fautorem. Sed non fugit te Hesiodéum hoc:

*Sæpe luunt peccata viri totæ unius urbes:*

Satisfacere verbis non quilibet sibi patitur. Cohibere autem orationem commotorum quis unquam potuit? Quod si nostræ necessitudini, & meæ erga vestram gentem affectioni admonitionis locus conceditur: suaferim ego, ut ab istiusmodi scriptis penitus absteineatur. Nam vulnera iis ipsis tantum refricantur, & efficiuntur exulcerationes

sevio-

sæviores, & id quod est deterrimum, eliciuntur plura de  
 istis rebus atque negotiis, quæ obrui perpetuo silentio es-  
 set melius, & tua quoque optat epistola. Veteris est ora-  
 culi versus Græcus, qui vetat locum quendam commoveri,  
 quod illum præstet esse immotum. Hæc sententiâ recte mo-  
 nemur, non esse agitata ea, quæ cupiamus acquiescere.  
 Quantum enim jam ad vestra edicta atque scripta prodie-  
 rit contrariarum narrationum, libellis, qui complures cir-  
 cumferuntur, manifestum fit. Quid proditurum sit, si illa  
 vestra multiplicentur, facile potest prævideri. Magna  
 vis est veritatis, quæ contra hominum ingenia, callidita-  
 tem, solertiam, contraque fictas etiam insidias facile se  
 per seipsam defendit, inquit M. Cicero. Nihil igitur re-  
 bus certis, exploratis, demonstratis, perspicuis, opus est  
 ullis coloribus aut pigmentis declamationum atque præ-  
 dicationum. Fuerit aliqua perficiendi occultandique ma-  
 leficii spes illis, qui conjuratorum appellatione deforman-  
 tur, fuerit ratio aliqua. Quanto erat justius, rectius, lauda-  
 bilius proferri ista tunc, cum ad crimen tantum respon-  
 sio saltem reis concederetur? Fuerit Amiralius tam ma-  
 lus & improbus, quam tua epistola describit, non insidias  
 tamen illi irui, sed comprehendi palam, non allatâ vi in-  
 terimi, sed meritæ pœnæ reservari eum oportuit. Et quo-  
 niam tua epistola præclaras etiam laudes & fortia ejus fa-  
 cinora recenset, debuit profecto non tam nocere dubia  
 opinio cogitati maleficii, quam prodesse memoria præcla-  
 rorum & illustrium in Regno beneficiorum. Quid secuta  
 miserabilis & luctuosa strages justæ querelæ & deploratio-  
 nis habet, vel potius quid non habet? Utinam non tantum  
 fit, immo ne amplius fit, atque quantum homines locuti  
 sunt ac loquuntur! Sed ut tandem finiatur responsio sane  
 longior ad tam prolixam epistolam: Unius defensionis  
 mihi viam rationemque dari pervelim: Tam capitali atque  
 immiti sententiâ condemnatæ Religionis ejus, de cujus ve-  
 ritate essent aliquando disputationes accuratæ habitæ, &  
 studiose quæsitum, & definitio adhuc suspensa: præmiis  
 propo-



propositis ab illâ sic desciscentibus, ut jurejurando eam execrarentur, & hoc facere recusantibus suppliciiis pœnisque mortis atque exilii. Qui igitur vel spe vel metu moventur & incitantur, ut contra animi sui sententiam diversum profiteantur, an non intelligitur, quam cum sibi tum aliis infidos esse oporteat? quod vel conscientiam hi perpetuo vexentur, vel in extremâ impietate omnem Dei hominumque respectum abjiciant. Narratio extat omnibus temporibus digna consideratione, de quodam ministro orthodoxo Theuderichi Afri Ariani. Qui cum ab hoc mirificè diligeretur, quo majorem favorem ipsius sibi conciliaret, simulat sibi esse persuasum dogma Arianum verum esse, & se illud amplecti velle. Theuderichus levitatem hominis attendens, & hâc offensus, in iracundiâ jussit ipsum interfici, memorabile dictum addens: se nunquam fidelitatem sibi posse polliceri ab illo, qui Deo æterno & Christo esset infidelis. Semper est omnibus in negotiis magno opere considerandum, nunquid præstet & satius sit, non adductos veritatem demonstrando, sed per vim coactos aliquos, aut spe emolumentorum allectos sibi adjungere. Quod ut maximè efficiatur corporum adjunctio, animorum certè non item affectio sequi solet. Sed redire isti dicuntur in viam, & revocari mentes eorum ad sanitatem. O viam latam ad interitum, & insaniam potius quàm sanitatem! Sed hæc in præsentiam differenda non sunt. Hoc supra modum admiror, quomodo mihi quasi patrocinium mandare potueris vestrarum actionum, degenti & viventi apud eos, qui sunt in eadem prorsus causâ, in qua illi, qui à vobis adeo inclementer accipiuntur. Cujusmodi enim judices me putas habiturum eos, qui tam horridè vestris sævissimis edictis condemnantur? Germani maximâ ex parte, Dania tota, Suecia, Anglia, multi in Polonia, multi in Ungaria, eadem asserunt atq; profitentur, ut vera & patrefactæ verbo Dei æterni doctrinæ cœlesti consentanea. Et in vectos in Ecclesiam Jesu Christi, vel ignorantiam vel malitiam errores averfantur & damnant. Urq; semel dicâ omnia:

F

Triden-

Tridentinum nuperrimum ac novitium concilium, sic detestantur, ut non libeat ea nomina memorare, quibus hoc dedecorant. Quid obsecro ego dicam iis, apud quos versor, quid mihi ipsi? non enim ignota tibi est mea sententia de pietate & religione. Præclara, quaeso, sit existimatio vestra de iis, qui omnia ea, quæ apud nos dicuntur, fiuntque ac geruntur, impia esse pronunciant, & his formidandi hæreseos nominis notam inurunt, & ad Romanensium Dominatus servile jugum denuo subeundum revocant eos. Hæc incipientem fari an dubium esse potest? quod periculum adire necesse videatur. Nihil dicam amplius, cum pene plura quam fortasse tu boni consulturus sis, dixerim. Magna & gravis res est, tam multas, tam longo tempore administratas, per tot difficultates conservatas, & Dei æterni benignitate, passim adhuc consistentes, protegente Regum ac Principum pietatis studio atque cura: Tot igitur & tales Ecclesias omnes Christi, edicti vestri quasi fulmine feriri, profecto, nequid vehementius dicatur, audax & inconsideratum est facinus. Crede mihi, vir ornatissime, & amice, cui ex animo ego bene cupio, ista non sic abibunt, & magna adhuc restat altercatio. Quomodo Tridentina Synodus conflata, actaq; sit, nec non quo pacto recusata oppugnataq; erat attendendum, & à vobis senibus perpendendum, neque de aliquorum instigatione connivendum ad abusionem majestatis Regiæ: Cujus nomen tam inimico ac plane hostili ad plurimos edicto præscriberetur. Quid autem tristius excogitari potest? quam perhiberi aliquos exclusos communitate Ecclesiæ Jesu Christi, quod illo metuendo hæreseos vocabulo fieri constat. Jam ubi resciscentur & audiuntur illa terribilia atq; extrema sævitia supplicia, quibus afficiuntur apud vos non convicti furti, adulterii, latrocini, seditionis, nullius deniq; capitalis delicti, sed arrepti ob solum erga Deum veræ pietatis religionisq; studium, quem censes metum incuti nostris hominibus exempli istius intuitu? Qui sunt aliquantulum ferocijores, quam vestri, quorum tu merito prædicas & humani-

triben

F

ratena

tatem & pietatem & Regis observantiam eximiam, & cuncta  
 quâ aliorum nulla virtus atque laus comparanda esse vide-  
 atur. Cum illi, quorum animi imbuti completique sunt  
 cognitione veritatis, pluris conservationem hujus asti-  
 ment, quam omnes res fortunasque dignitatem quoque  
 ipsamque adeo vitam suam. Sed cogitatione tamen ac me-  
 tu cruciatuum atque mortis, sunt enim homines, animi il-  
 lorum perturbantur. Nam quod in hos conferuntur causæ  
 motuum & culpa diffidiorum & bellorum radices, omni-  
 um denique malorum origo, qui purioris in Ecclesiâ do-  
 ctinæ & sanctioris disciplinæ amore capti, ab aliorum  
 communitate secesserunt, longe aliter rem sese habere, i-  
 psorum scripta demonstrant. Et hoc ab inimicis impuden-  
 ter conficto convicio antiquis etiam temporibus Christia-  
 num cœtum infamatum fuisse scimus. Atque sunt etiam eo-  
 rum, qui arma cepere, & bellorum certaminibus implicati  
 fuere, omnibus illis de rebus, narrationes, contestationes,  
 defensiones in medio. Nisi hoc pro certo tenetur: Quicun-  
 que jussu & imperio sui Regis, principis, magistratus non  
 obediat, & sine recusatione omnibus in rebus obtempe-  
 rat, eum esse seditiosum atque turbulentum. Sed est ad hoc  
 ipsum responsio certa atque liquida: Oportet Deo magis  
 parere quam hominibus. Jam quod clamitatur de prospe-  
 ritate ante istam separationem & præsentis miserias, ma-  
 gnopere videndum qualis illa fuerit, & nunquid his occa-  
 sionem potius repugnatio contra veritatem dedisse videa-  
 tur. Non ferendas autem esse duas religiones discrepantes  
 in uno Regno, minus & ipsum dilucide diserteq; dicitur.  
 Nondum enim est demonstratum neq; planum factum a-  
 liam diversamque esse religionem eorum, qui tam male au-  
 diunt, ut desertores Ecclesiæ catholice, atque ea est, quam  
 illi ipsi qui Catholicorum nomen adeo gloriose ostentant.  
 Nimirum Christianam. Declarant hoc eadem Fidei capi-  
 ta, ostendit summa concors doctrinæ, indicat consensus de  
 dogmate. Hoc autem discrimen & ista differentia est: Vtrû  
 veritatem præ alteris sinceram retineant, & integritatem  
 religio-

religionis, & pietatis cultum, & disciplinae sanctitatem tueantur. In hisne an illis errores hæreant, & incubet falsitas, & doctrinae corruptela, & disciplinae depravatio. Hanc contentionem non modo tolerandam, sed utilem quoque esse fortasse aliquis censeat, ita indies magis elucescente non modo dogmatum assertione, sed disciplinae etiam pulchritudine. In Germaniæ Ecclesiis sunt compluribus in locis observationes aliæ, quam Romanenses, reperias in una quoque urbe utrasque. Neque ideo minus & pacatæ res sunt, certe esse possunt, & quæcunq; turbæ extitere, alias habuere causas. Sed prætextitur religionis nomen nefariis facinoribus & perniciosis motibus, contumaciæ denique seditiosæ. Hoc si fit, & ubi fit, ante omnia habet Deum æternum vindicem, & severam animadversionem meretur. Sed est profecto videndum, ne ista contumeliâ afficiantur illâ indignissimi, neve insimulentur sceleris infontes & liberentur fontes, neu innocentes plectantur, & nocentes absolvantur. Erat sanè optimum & optatissimum, ut ubique non modò in fundamento ipso, sed universâ extruptione totoque ædificio convenirent & essent concinna universa. Sed quando hoc est factum? Et fortasse certo consilio Deus æternus fieri non vult. Cogi autem aliquos, ut probeant & amplectantur ea, quæ cum falsa iudicent, averfantur, neque rectum est, & non solum inutile, sed etiam perniciosum. Cum autem illi ipsi, qui dominationem Romanensem defendunt, fateri cogantur, neque doctrinam suam ubique emendatam, & in disciplina plurimum esse vitiorum, sicubi potentia præsidens vel minus commode potest, vel non libenter vult corrigere peccata & redigere ad meliorem formam administrationem: Non quasi vento scilicet huic primariæ navigationi aspirante, secundaria secundum proverbium, boni consulatur, & operadetur, ne Respublica civilisque vita & hominum consociatio perturbetur atque divellatur. Quod etsi est negotiosum atque difficile, hoc casu tamen quid potius fructuosiusque, & quod magis laudem mereatur atque conducatur, inveniri

inveniri nihil quicquam excogitariq; posse existimo. Sed & de his ipsis nimis fortasse multa. Scio etiam huic parti, quam nostram appellare non vereor, objici nescio quid discordiæ inter ipsos, & ab adversariis istud perquam maledicè & contumeliosè celebrari. Sed, Dei benignitate, fundamentum constanter & uno animo retinetur, rupis firmæ ac solidæ. De cujusque autem operâ ac labore extruendi aliquid, decernet scilicet ignis, non lædens ille quidem gemmas & aurum, sed stipulas atque fœnum. Neque nova hæc Ecclesiæ fortuna, sed prisca quoque temporibus eandem illa est experta. Neque omnis spes est abjicienda, quin Deus æternus hæc cuncta secundum immensam misericordiam suam, nobis adhuc inexploratâ viâ, deducturus directurusq; sit, ante omnia ad gloriam sanctissimi nominis sui, & Ecclesiæ Christi utilitatem incrementumque ac honorem, & eorum, qui Christiani perhiberi se volunt, commoditatem aliquam, toto etiam Mundo refragante: cujus solius est tales lites decidere, & causâ dijudicatâ statuere quid debeat, oporteat, necesse sit fieri. Ejusque auctoritatem & potestatem vel antevertere, vel impedire vel le homines natos, cum improbus, tum inanis est conatus, atque adeo noxius, secundum proverbium, contra stimulum calces. Verum, ut aliud ex alio incidit, ita nimis longe procedit vel evagatur potius responsio, quapropter desino. Et quod restat, abs tuâ humanitate peto, ne mihi hoc onus imponas, quod sustinere nullo modo possim, causam dicendi pro Rebus Gallicis, id est, quorundam ejusmodi consiliis & actionum facinoribus, quorum ipsos pudere pigereque jam arbitror, cum nationem & animo meo colam, & studio observem, & officiis prosequi quibuscunque concedatur, cupiam. Res sunt in medio, frequentantur sermonibus, manibus tractantur, conspiciuntur oculis. Non sum autem is ego, qui valeam facere

*Candida de nigris & de candentibus atra.*

Fac valeas. Vale. Eleutheropoli. Die XIII. Aprilis, quo die ascribitur in festis S. Euphemie nomen, cum

ruæ litteræ ante dies XV. huc pervenissent. An. Christi Je-  
su M.D.LXXIII.

POST PRIORA SCRIPTA.

His ita, quemadmodum videre potes, sicut unumquicq;  
percurrenti legendo epistolam tuam venit mihi in men-  
tem, (Non enim volui neque visum precium operæ est, re-  
spondere ad singula sequentem tuæ scriptiois ordinem.)  
exaratis narrarunt quendam, qui se pro Gallorum Regis le-  
gato gereret, advenisse, cum pecunia illum quidem, ad con-  
ducendum aliquid equitum. Etsi autem ubique & semper  
inventi sunt, & invenientur, qui accipiant pecuniam ad  
quascunque operas & administrationes, secundum vetus  
verbum: Currunt volantque cuncta eo, ubi pecunia est.  
Ipse tamen ille Legatus, quo hominum animi voluntates-  
que essent promptiores atque propensiores, non suâ solum  
facundiâ mirificè defendisse factum istud vestrate, sed epi-  
stola tuæ exempla etiam distribuisse perhibetur. Quasi  
iis causâ sic explicaretur, ut eximeretur omnibus quic-  
quid eâ de re restaret vel levissimi scrupuli. In quo valde  
esse eum deceptum eventus ostendit. Nam & ipse novit,  
quomodo alicubi acceptus atq; etiam repudiatus sit, & non  
pauci, lecta tua epistola, jam de istis rebus multo quam an-  
tea pejus sentire ceperunt, animadvertentes tantam rem  
tam dissentaneâ expositione referri, & adeo futiliter de-  
fendi, ut quasi in Geometriâ aliquid demonstraturus, su-  
meres atque supponeres, declamationi tuæ quadam, qui-  
bus fidem haberi postulares, & quæ tanquam certa credi  
velles. Cum illa neq; vera essent, neque cuius disputationi-  
bus verisimilia efficerentur. Usque adeo melius consulti-  
usque est, de manifesto sceleratis atque turpibus silere, ne-  
que veluti irritare opiniones de illis audientum, & patro-  
cinando causam reddere odiosorem. Quemadmodum de-  
speratis in morbo mederi, nihil proficientis atque adeo  
nocentis stultitiæ est. Itaque jam fit existimatio de rebus  
istis.

istis plurimorum deterior, & sermones audiuntur minus  
 clementes, & scripta quoque proferuntur ab ingeniosis illas  
 res celebrantia, non admodum expetenda laude. An tu ve-  
 ro eos his in locis atque regionibus, quibus non dico cordis  
 aliquid est, sed pectus modo sapit, secundum Comœdiam,  
 censes propugnationem suscepturos pro iis instaurandis,  
 quæ apud ipsos rejecta & refutata sunt, & jacent everfa?  
 Eam dico & sententiam & exercitationem Religionis, quæ  
 iudicio ipsorum falsa est atque impia, & à vobis non solum  
 scriptis asseritur, & edictis imperatur, sed adversus dissen-  
 tientes maxima sævitia suppliciorum vindicatur. Quid  
 enim aliud statui à non dementibus atque vesanis potest?  
 quam si vestri conatus adjuventur, foveri augerique vires  
 eorum, à quibus ipsi deinde corroboratis affligantur, atque  
 adeo, si quod illi cupiunt, succedat, profligentur. Quod  
 autem supra quoque est indicatum, & odiosissimè jactari  
 auditur à malevolis, quasi ea religio, quam ii, quos tanta  
 apud vos sævitia adeo pertinaciter insequitur, & nostrum  
 colunt, non sit eadem, eo non est sperandum sic infatuari  
 posse ullos, ut vestras actiones approbent. Et perspicuum  
 est hoc confingi ad distractionem eorum, qui plane ean-  
 dem causam defendunt. Nam etsi sunt quædam, de quo-  
 rum explicatione quaritur, & sententiæ aliquorum discre-  
 pant, magis illæ quidem verbis quam rebus, & partim in-  
 docti, ambitiosi, leves, partim turbulenti, insolentes, malè  
 ( qui ubique reperiuntur, secundum vetus verbum plures )  
 in hac parte exagitare & commovere quietam & bene sitam  
 non desunt, sic tamen negotium istud sese habet, ut his  
 quæstionibus disputationibusque conjunctionem consen-  
 sionemque de cœlestis veritatis doctrinâ dissolvi, & vincu-  
 lum Charitatis rumpi, nequaquam sit existimandum. Cum  
 præsertim de iis, in quibus sunt omnia, sanctæ fidei, in-  
 quam, disertâ professione, & orthodoxâ catholicæ Eccle-  
 siæ confessione, ubique summa sit consensus, & nisi liberis  
 congressibus, inque his fructuoso controversias dirimendi  
 studio tam violenta quam malitiosa impedimenta infer-  
 rentur,



rentur, per facile ista si qua adhuc ambigua sunt explicari possent. Quod facta autem à me est mentio scriptorum istas res actionesque vestras exagitantium, ex iis, quod verbosiora sint, quasi agglutinare aliqua non debui, & qui vestratia huc afferunt, ii fortasse nostratia quoque istuc solent remittere. Sed ad id, quod dixi, certius demonstrandum, visum est versus quosdam nuper divulgatos, subjicere, ut quid istis defensionibus vestris & patrociniis proficeretur, plane perspicere posses. Atque tua humanitas istam appendiculam in optimam partem accipiet. Et tali materia tractanda, istoque argumento explicando deinceps erit prudentia tua circumspectior atque cautior.

## DE REBUS GALLICIS, experimentum.

*Vesperae erant Siculae, Galli quibus interiere,  
Gallica nunc Gallos conjugia interimunt.*

*Sicelis exitio fuit olim Vespera Gallis,  
Nunc Gallos perdunt Gallica conjugia.*

*Fraus Sicula extinxit quondam, uno Vespere, Gallos,  
Gentile interimat quos modo conjugium.*

*Nunc Siculo infando jactent pro Vespere, Galli  
Funestiores regias sibi nuptias.*

*Fraude malâ Siculos infamat Gallica cades,  
Nunc gens hoc proprium Gallica crimen habet.*

*Siculam execratus Gallus olim Vesperam,  
Nunc nuptiarum deflet hic suum scelus.*

DE



## DE EISDEM.

**F**ama senes fert Gallorum perducere Regem,  
 Facinora ut aliorum sibi ascribi sinat.  
 Delirat turba ista senum, qui nomine Regis  
 Scelerata facta posse defendi putant.  
 At tu Rex Vir, jamque potens sceptri atque coronæ  
 Consilia repudia senum dementium  
 Perniciosa tibi, atque tuo regno exitiosa,  
 Et ipse, quæ salutifera sint, cogita.  
 Nobilitate tuum indigena & virtute celebri  
 Spoliatur, & fidelibus Regnum incolis.  
 Civibus ejectisque externi jam dominantur,  
 Hispanus, Italus, Belga, Germanus, Scythæ:  
 Quid Scythæ? vos quia Christi inimici Relligionis  
 Venerantium hunc effunditis qui sanguinem,  
 Cum his, cum illis pacem facitisque & fœdus initis,  
 Et natio est vobis amica Turcica.  
 Crede senex, tu quisquis is es, non ille quietem  
 Conturbat, aut tranquillitatis hostis est,  
 Qui Christum pietate colit verâ, atque refutat  
 Ingesta in hujus falsa cultum plurima.  
 Nec datur estve data, aut dabitur caussa ulla malorum  
 Ab iis, adorant mente qui Christum piâ.  
 Sævitia illorum furor & vesana libido  
 Cunctis aperiunt calamitatibus fores,  
 Qui prohibent verum sanctæ usum Relligionis,  
 Idololatriæque cultus asserunt.  
 Et Romanenses conantur pingere fraudes,  
 Concidere pronos fulciuntque jam dolos.  
 O dolitura tuis gens cladibus, ô miserandum,  
 Si perseveras, regnum, in hæc insaniâ.  
 De te posteritas, quam per sua tempora narret  
 Heu quam nefandam turpitudinem accipit:  
 Ad mentem inque viam nisi corrigis hæc, redeundo,  
 Et institutum perperam mutas iter.

Fata viam inuenient nimirum. At Christe tuos tu  
 Salutis autor, ipse protege, unice.  
 Compertum est nunquam vel vim vel calliditatem,  
 Hec quantacumq; apud homines foret utraq;  
 Christe tua superasse indictum, maxime, robur  
 Sapientiae caelestis & potentia.  
 Quid? praedicta monent quod vos quoq; vaticinando  
 Magis graves & esse mobiles minus.  
 Discite iustitiam, casteq; Deum venerari,  
 Violare credite maximum & fidem, nefas.  
 Exempla ante oculos iustae sunt plurima poena,  
 Scelerumq; furiae passim oberrant vindices.  
 Quodq; fuit semper verum, & nunc esse putetur:  
 Quod contumax sit nemo inultus impius.

DE EISDEM.

Quod nix nigra foret fuisse quendam  
 Narratur perhibere non verentem.  
 Hic aut non oculis fuit profecto  
 Prorsus praeditus, aut caliginosis  
 Et discernere inertibus colores.  
 Quid? qui, quae manibus queant teneri,  
 Non audita modo atq; visa, mutat  
 Inducit speciemq; differendo  
 Diversam, & nigra candida esse dicit:  
 An non mirificus putandus hic est?  
 Et scitus magis artifex? negando  
 Verum, & protinus asserendo falsum.  
 Verum ut jam neq; nigra nix videtur,  
 Sic mendacia nulla, vera quod sint,  
 Ullius poterit probare acumen.

Historia Crudelitatis & saevitiae à  
Mithridate in cives Romanos per Asiam  
negotiantes patratae ex Joh. Freinsheimii  
supplemento Liviani LXXIIX. libri, c.

VII. II X. IX. X. XI. XII.

**M**ithridates cognito cives Romanos, quorum in-  
gens erat per Asiam negotiandi gratia dispersus  
numerus, passim apud urbes destinatis suis impe-  
dimento esse conari; consilium cepit crudelissima callidi-  
tatis, clam misso ad magistratus locorum edicto, *uti ad di-*  
*em trigesimum postquam datae essent litterae essent, quotquot in*  
*suis quique urbibus haberent Romani generis homines, cum li-*  
*beris & uxoribus atque etiam libertis, qui Italici sanguinis*  
*essent, occiderent. Casos autem inhumatos projici jube-*  
*bat: bona cum interfectoibus partiebatur. Sed & mi-*  
*nae adjectae erant, si quis aliquem ex eo numero aut celare vi-*  
*sum, aut sepelire mortuum ausus esset. Contra, servis heros*  
*interfecturis libertatem; debitoribus dimidium aris alieni*  
*premi loco promittebat. Dubites scelestius haec à Rege ex-*  
*cogitata, an ab Asiaticis facta sint. Postquam constituta dies*  
*adfuit, miserrima per omnes Asiae urbes spectacula ede-*  
*bantur. Notabilis inter haec Trallianorum amentia fuit:*  
*qui quos in urbe sua habebant Romanos, ne videlicet ho-*  
*spitali sanguine polluerent manus, Theophilo Paphlagoni*  
*jugulandos locaverunt, tanquam interesset. Atque illud*  
*singulari saevitia monstrum, compulsos intra aedem Con-*  
*cordiae contrucidavit; etiam manibus quorundam abscis-*  
*sis, quibus deorum complexi simulachra fuerant. Neq; ma-*  
*gna illa Diana, contra furorem Ephesiorum tueri suppli-*  
*ces suos potuit: neque Pergamenorum Aesculapius, quo*  
*minus ad ipsa pulvinaria gladiis aut sagittis interficeren-*  
*tur. Adramytheni nando salutem quaerere visos inter ipsas*  
*undas*

*Interfectis*  
*in*


*manu*

*interfectis*  
*in*

undas consequuti trucidarunt; infantibus fugientium liberis pelago merfis. Caunū quoque, qui devicto Antiocho Rhodiis attributi, deinde ab horum dominatu Romanorum beneficio liberati fuerant: Italos ad sacratam urbis curiam concurrentes ab ipsis aris diripuerunt: raptosq; ab ulnis matrum infantes ante ora ipsarum, ipsas deinde, & postremo viros eorum interfecerunt. Soli omnium quī Mithridatem reverebantur Coi, Romanos in Æsculapiū templum introductos, vetusto asyli jure tutos præstiterunt. Hæc tam improvisâ clade intra eandem diem diversissimis locis extincta hominum circiter octoginta millia esse, satis inter auctores constat. Neque silentio præterierim atrocem Theophanis Lesbii calumniam, quâ viri innocentissimi P. Rutilii famam lacerare est conatus: *Rutilii scilicet hortatu Mithridatem tantæ seditiæ consilium cepisse.* Ceterum Theophanes illis quoque temporibus, quibus recens harum rerum erat memoria, se potius turpissimè mendacem, quam Rutilium improbum ostendit: liberalibus literis perquam illiberaliter usus; qui in Historiâ scribere de Rutilio falsa crimina non erubuit, non ob aliud, quam quia Rutilius de patre Dn. Pompeji vera scripserat. Colorem fingenti nonnullum præbuit Rutilii, qui tum Myrlyenis agebat, quum Romani occiderentur, incolumitas. Sed ille comperto rogatos ad necem quæri, præsens periculum vestitus mutatione vitaverat, quæ cautio aliis etiam passim per Asiam salutis fuit.

*Rutilii*

*incolumitas*



VESPE

VESPERARUM SICULARUM

Historia, ex Thomæ Fazelli Dec. poster. l.IIX. c. IV.



Alli, qui in Sicilia jura magistratûs- que dabant, superbiâ, luxuriâ, & crudelitate omnia compleverant, inaudita vectigalia imponebant, intolerabiles obventiones exigebant, invita nobilium foeminarum & divitum conjugia inibant, ac adulteria etiam in nuptas machinabantur. Sub prætextu præterea laneorum substragulorum, quæ Judæi ac cæteri pro modo suarum facultatum militibus ac ministris Regis jussu curiæ exhibere tenebantur, domos ingressi supellectilem omnem dimovebant, mulieres impudicè tangebant. Secuta inde nefanda crudelitatis exempla, expulsiões civium, bonorum publicationes, judiciaq; privatorum, ac proscriptiones, non ob aliam causam, nisi quia divites essent. Fraude & malis artibus regnum prædæ loco habebant, plebem nobilesque impotenti dominatu exagitant, & uni tantum rapinæ atque avaritiæ & libidini ita studebant, ut alienas nobilesque foeminas publicè per vim invadere non vererentur. Septem equidem & decem annos exactiones, exilia, carceres, deportationes, aliasque illatas à Francis injurias æquo animo Siculi pavidè interim, secumque clam submurmurantes tolerarunt. Sed ubi zelotypiæ furor virorum amantium corda percussit, factum est murmur impavidum: iniquitatis causas & argumenta publica per nuntios Carolo Regi Viterbii tunc agenti nuntiant. Administrabatur eo tempore Sicilia ab Herberro Aurilliono Caroli Regis Generali Præside, Joanne S. Remigio Panormi & Vallis Mazariæ, & Thomasio Busanto Vallis Necti præfectis, viris Gallicis. Carolus ubi legatio-

*J. J. J.*

*finis*

*finis*

*amici*  
*Amici*

legationem audivit, Herberto Præfidi sub multa mandatum, ut ministros frenet, & à rapinis stuprisque eos inhibeat, pœnisque etiam deprehensos afficiat, ut ejus diplomate dato Viterbii anno salutis 1276. pri. Cal. Aug. Messanensibus & Siculis transmissio constat. At Franci efferaiores effecti, eadem & pejora, velut in mandati actorumque ludibrium, perpetrabant. Siculi ne quid inexpertum reliquisset viderentur, coram Pontifice Romano per Bartholomæum Pactensem Episcopum, & fratrem Bon. Joannem Marinum Dominicanum causam studiose proponunt. Et Bartholomæum quidem manus Legationis intrepide coram ipso Rege Carolo obivisse, Siculorum annales referunt. Cujus exordium hoc fuisse perhibent: Misere mei fili David: Filia mea male à demonio vexatur. Quo finito, statim suo ordine enormes libidines, rapinas, & cætera id genus Gallorum crimina retulit. Demum Carolum ab injustitiâ coerceri petit: Discedentibus à Pontificis conspectu Legatis, Caroli ministri manus injiciunt. Reversi in Siciliam Legati, quid sibi pro legatione obvenerit, in urbe Messana, Siculis hæc irritato animo audientibus, palam referunt. Erat eo tempore in Sicilia Joannes Prochyta, Prochytae insulae olim Dominus, (cujus uxorem paulo ante Galli, ut Petrarca refert, violaverant) & Manfredi quondam Regis studiosissimus, callido vir ingenio, & in conciliandis hominum animis potens. Is & desiderio pristinarum opum flagrans, & contaminatam à Francis uxoris pudicitiam ulturus, adjecto ad liberandam Siciliam animo, clandestinam conjurationem contra Gallos Carolumque toto biennio clam sollicitavit, sociosque Alanum Leontinum, Palmerium Abbatem, & Gualtherium Calatragonum, ac plerosque alios Siciliae proceres, quibus sciebat Francos esse præ cæteris invisos, sibi deligit. Inter eos igitur convenit, ut Petro Aragonum Regi Siciliam jure uxorio sibi debitam traderent. Ad quod facinus, si viribus opus esset, Palæologi Constantinopolitani Imperatoris, ac Nicolai Pont. Ro. (quos conciliandos ipse sibi instituerat)

tuerat) auxilia offerebat. Proinde cum Palæologo, con-  
 tra quem classem Carolus instruebat, rem primum, mox  
 cum Nicolao Pontifice Aragonensium studiosissimo, ac de-  
 mum cum Petro Rege, tractare decernunt. Per literas cum  
 his agunt, calamitates suas exprimunt, auxilia petunt.  
 Joannem autem ad eas perferendas, obeundamque Lega-  
 tionem nuntium eligunt. Joannes statim ad iter se parat,  
 abjectâque nobili veste, vilem religiosamque induit, san-  
 ctitatis simulatione omnia sibi terrâ marique pervia tuta-  
 que facit. Byzantium proficiscitur, Michaeli palæologo  
 Caroli contra eum animum, paratam classem, & copias  
 conscriptas ad eripiendum illi imperium aperit. Porro re-  
 medium unicum superesse longo verborum ductu decla-  
 rat, ut Carolus incautus occupetur, & ingenti morâ domi  
 retineatur. Habere etenim illum Siculos, qui Henrici, Fri-  
 derici, Manfredi, Corradi, & Corradini (sub quibus opi-  
 bus & libertate floruerunt) memoriâ ac amore adhuc de-  
 renti, Francos superbos, crudeles, stupratores capitaliter  
 odiant, nec aliud conentur quam ut ab eis ad Petrum Ara-  
 gonensium Regem deficiant: cujus uxor Constantia, Man-  
 fredici Siciliae Regis filia, noctu & interdium virum instigat,  
 quo mortem Manfredi patris, ac Corradi & Corradini, in  
 homicidam vindicet, & Siciliam dotali sibi ac paterno, ju-  
 re debitam reperat. Cæterum Petrus cum Carolo viribus  
 sit inferior, ob id movere arma non audet. Quod si Palæo-  
 logus ei ad classem contra Carolum parandam pecunia-  
 rum subsidia præstaret, fore proculdubio ut Petrus Caro-  
 lo Siciliam adimeret, atque hic bello domestico implici-  
 tus, longe absit à Palæologo vexando: cum, qui in suis de-  
 fendendis occupetur, aliena infestandi facultatem non sit  
 habiturus. Palæologus iis auditis, in Carolum toto ani-  
 mo movetur: quæ Joannes dixerat, probat, auroque Pe-  
 trum adiuturum, literas & ad eum & ad Pontificem se scri-  
 pturum pollicetur, Joannemque ipsum ad patrandum fa-  
 cinus authorem deligit. Joannes rei gerendæ officio, lite-  
 risque à Palæologo acceptis, eadem veste amictus ad suos  
 rever-

revertitur. Quos cum responso Palæologi in spem erexisset, subinde ad Nicolaum Pont. provolat, eumque cōjurationis in Francos socium & fautorem, nullo labore pertrahit, & cum eo, ut Petrus classem maximam pareret, ut dolum aliquis contra Francos à Siculis repentinus cruentusque excogitetur, fœdus pepigit. Atque inde sumptis à Pontifice literis, Petrum Arragonensem convenit, eum in spem Siciliæ vocat, aurumque Palæologi promittit. Quo facto ad Pontificem redit. Ubi cum illi, quæ cum Petro firmaverat, retulisset, in Siciliam revertitur, bonoque animo esse omnes jubet. Nec quicquam remoratus, Constantinopolim iterum ad Palæologum pro auro regreditur, literas illi & Pontificis & Petri defert. Palæologus Accardum Latinum, in rebus gerendis solertissimum sibi à secretis virum, cum magno auri pondere Joanni socium adjungit. Illi Melitam navigant. Ubi Joannes relicto Accardo Drepanum venit, atque inde Proceres Melitam ad Accardum visendum trahere jubet. Quo viso lætantur, laudibusque Palæologi & consilia & liberalitatem efferunt. Proceribus in Siciliam reversis, Joannes & Accardus Barcinonam ad Petrum Regem contendunt, aurum Palæologi ei exhibent: dolumque excogitant cruentum, ut Francis cæsis Petrus rerum in Sicilia potiarur. His paratis, Joannes ad suos rediens, à Pisanis nautis obvijs inter navigandum Nicolaum Romanum Pont. obiisse, & Martinum quartum Gallorum studiosissimum susceptum cognovit. Novitate rei primum terretur, sed mox resumpto animo cursum prosequitur, & Drepanum applicat. Proceribus conventa omnia credit. Interea Petrus Rex, ut à suspitione inchoati delectus militaris Principum animos averteret, declarata causa sacri belli, classem instruit. Apparatu verò bellico invalescente, Martinus Pont. per nuntium à Petro petit, ut classis suæ consilium ei aperiat. Cui cum tempus ferret, id sedulo se facturum respondit. Cumque Pontificis nuntius urgeret, comburerem (inquit Petrus) meam hanc interulam, quam induo, tunicam, si eam arcanorum meorum consciam fore timerem



timerem. Carolus etiam Rex idipsum à Petro sciscitatur: quod si in Sarracenos bellum pararet, opem suam offerebat. At Petrus, nondum quos Sarracenos adoriatur, deliberasse, & se tantum subsidiis numerariis indigere respondit. Quo audito Carolus ( ut studiosi Francorum scriptores tradunt ) viginti millia aureorum Petro mittit, multo majora se missurum, si de sacro bello ei constet, pollicitus. Interea dum bellum à Petro paratur, Joannes Prochyta Panormitanos, Messanenses, ac cæteros Siciliae viros Principes adit: cum eis arduum facinus tractat, ut uno eodemque tempore Franci tota Sicilia gladiis obruantur. Annuere Proceres, & communi consensu tertius dies resurgenti Domino festus decernitur, quo, cum primum circa vesperam areæ campanæ signum auditum fuerit, ubique Franci, nullo sexus, ætatis, ordinis discrimine habito confoderentur. Quo firmato, Joannes singulas urbes oppidaque circumiens, Siculos, quorum apertiora in Francos odia patebant, ad præscriptum facinus hortabatur. Sunt qui referant, quo tutius rem perageret, lymphatum se simulasse, ac canna ad aures obviatorum suggerentem Francorum quidem ridiculas voces, Siculorum vero cædem futuram, simulque diei & horæ nuntium. Itaque anno salutis 1282. Caroli vero regni 17. 3. Cal. Aprilis, dato signo, ater funestusque Francis apparuit interitus. Tota namque Sicilia in Francos nil tale unquam veritos insurgente, uno temporis momento ad unum omnes non solum à prophanis, sed Dominicanis etiam, Franciscanis, ac cæteris cucullatis monachis trucidantur, paucis ad Spirlingam arcem naturam munitissimam salutem sibi quaerentibus: qui omnes paulo post inedia sunt consumpti, unde natum carmen: Quod Siculis placuit, solum Spirlinga negavit. Qua in re ad eo favitum est, ut exenteratæ prægnantes, & parvuli ( nequid Francici generis in Sicilia superesset ) saxis illis sint, duarumque horarum spatio eo tempore octo Francorum millia occisa fuisse constet. Inde adagio increbuit: Siculus

vesper

vesper. Viscebatur ad ætatem usque meam Panormi æde Divorum Cosmæ & Damiani, aliisque vicinis sacellis sacris Francorum cadaverum ossiumque congeries, struesque maxima. Sicularum in Francos hanc sævitiam, ut frequentior scriptorum autoritas, & fama per manus ducta habet, hæctenus recensuimus. In plerisque vero Sicularum annalibus, & Siciliae regum, Petri præsertim secundi Siciliae regis diplomatibus, ac etiam non spernendis auctoribus, consternationis initium à Panormitanis ortum legimus. Cum etenim tertio Dominicæ resurrectionis die, qui eo anno penultimus Martii dies fuit, ad templum Sancti Spiritus sexcentos ferme passus in meridiem obversum Panormo recedens (etsi ad Montem regalem quidam falso scripserint) Panormitanorum frequentia religionis causa de more, qui ad meam usque ætatem solenni observatione manavit, convenissent, Francos ibi, qui magistratus gerebant, jussu Joannis S. Remigii urbis Præfecti causâ scrutandi si quis cum telo esset, etiam matronas virginesque excussisse, licentiosiusque, pertentasse mulierem sinus accepimus. Quorum unus cui Drohectus erat nomen, cum in quandam mulierem nobilitate insignem manus iniecisset, Panormitanorum in unum concurrentium subita, ira lapidibus primum obrutus: mox eadem seditione armis ex urbe correptis, Franci omnes per plateas sine discrimine cæsi, sævæ libidinis & diu toleratæ crudelitatis pœnas dedere. Inde vero ad Joannis S. Remigii (qui præerat) arcem impetu facto, Panormitani, effractis januis irrumpentes, quotquot in ea illius nationis invenere, trucidarunt. Joannes ipse in facie vulneratus, rustici habitum mentitus, noctu equester Bicarum oppidum profugiens, eum quidem furorem evasit: Sed Panormitani, qui interea Rogerium de Magistro Angelo urbi ad plebem in officio continendam præfectum constituerant, cæsis domi ad quinque Francorum millibus, una cum Caccabenibus Joannem S. Remigium persecuti, sagittis petunt, ac de-

ac demum interficiunt. Fama Francorum caedis per vicina Panormo oppida delata, Corilionenses Gallos omnes, qui in eorum oppido erant, una hora peremerunt, foedusque cum Panormitanis inierunt. Peractis his stragis Gallicae primordiis, Panormitani tres acies instruunt. Quarum unam Cephalœdim versus, alteram Ennam, tertiam Calatafimim mittunt, Siciliam omnem ad idem facinus excituri. Qui Calatafimim venerunt, à Guilielmo Porcelletto Provinciali genere, ob probitatem suam, ceteris Francis interfectis, abstinuere, incolumemque in patriam dimisere. Ea inde voce Siciliam omnem pervagante, ac militibus per oppida discurrentibus, à nullo Franco temperatum est. Herbertus Siciliae Praeses, qui Messanae adhuc erat, auditis Panormitanæ urbis montibus, statim per milites, quos in praesidio paratos habebat, civitatem in fide continuit, classemque novem triremium milite instructam, cui Riccardum de Riso Ducem praefecit, ad obsidendam Panormum misit. Quam Panormitani contraria classe adorti, facile fugarunt. Adjuvit magnopere Siculorum causam Orlandus de Milia Panormitanus miles, qui cum sub Rege Carolo Sicilia exulasset, tempore defectionis Panormum rediit, & acerrime in Francos saevit, ac postmodum Petri & Friderici Regum fidem fortiter contra hostes tutatus est. Herbertus cognito Panormitanæ aciei ad Tauromenium ( quod sub Carolo adhuc stabat ) adventu, milites ad justum numerum cum Michelotto Gatta genere Franco eorum Duce ad Panormitanos profligandos eo confestim emisit. At Siculi magna vi oppidum adorti, pluribus Francorum caesis, capiunt, Michelotto cum paucis in arcem Scalettæ primum, ac deinde Messanam ad arcem Griffoni incolumi sese recipiente. Interea cum Franci Messanae petulantius se haberent, Messanenses ira tandem & ipsi conciti contra exurgunt, & Herberto Praefide in Griffoni arcem primum, mox inde ad Catanam fugato, Duce Bartholomæo Marefcallo

viro populari, vigesimo nono Aprilis die in Francos omnes irruunt ac sæviunt, & quotquot in occurſu deprehendere, una cum Michelotto, & qui cum ſuis in arce erant, trucidant: dejectisque Caroli inſignibus, crucis vexillum inſigne civicum erigunt, Panormitanisque patratum facinus ordine nuntiant, & cum eis fœdus ineunt. Erat Carolus Rex cum hæc in Sicilia fierent, cum Martino Rom. Pont. in Phaliſcorum Monte oppido, ubi cum fama tantæ cladis nuntia, legatique per Montis regalis Archiepiſcopum ſibi miſſi, nihil minus quam tale quippiam opperienti rem aperuere: animo primum concidit, ac deinde cum ingentibus copiis, ac numeroſa claſſe, quam ad invadendum Græcum Imperium in portubus inſtructam habebat, & Gerardo Parmenſi Cardinali Rom. Pont. Legato, in Siciliam trajiciens, Meſſanam venit. Meſſanenſes adventu hoſtium metu quidem percelluntur: non tamen animorum fœderisque obliti, Balduino Muſono Duce armis inſtructi, urbe egreſſi, in hoſtes irruere deliberant. Sed Franci ad remotiora fugam ſimulantes ad Cannerum D. Gregorii mille levis armaturæ equites in inſidiis diſponunt, à quibus Meſſanenſes abſque ordine palantes circumventi, plures caſi, plerique capti ſunt: Balduinus cum paucis in urbem vix incolumis evaſit. Meſſanenſes hanc cladem Ducum inertia obveniffe rati, Balduinum, Matthæum & Baldum de Riſo furca ſuspendunt: Alaymumque Leontinum virum impigrum, & bello & urbi præfectum ſufficiunt. Interea Siculi adventu Caroli in formidinem adducti, Legatos ad Rom. Pont. pro venia impetranda his verbis miſerant: Qui tollis peccata mundi, miſereri noſtri. Quibus facetiſſimè à Pontifice id ſolum reſponſum eſt: Ave Rex Judæorum: & dabant ei alapas. Reverſis Legatis, & reſponſum ridiculum referentibus, cum jam expugnatum à Francis Mylæ oppidum, Meſſanenſes hac lege deditioem Carolo offerunt: Ut ſanciretur præteritorum oblivio: ne majora vectigalia quam

quam Regi Guilielmo secundo persolverentur : Franci nullo magistratu, neque militia in Messana potirentur, sed Italici & Phocensis solum generis. Gerardus Legatus, & Caroli Regis milites, conditiones oblatas & deditioem ne aspernaretur, Regem hortabantur. Sed dum ille iræ nimium credit, nec annuere festinat: deditioem pacisque simul spem omnem amittit. Legatus vero Siciliae sacris interdicit, Carolus militem omnem ac tormenta in terram ad Roccam majorem exponit. Inde ad vineam magnam Regis non longe ab urbe venit, urbem durissime terra & mari obsidet, machinis tormentisque mœnia disjicere nititur: duravitque ab ortu solis ad vesperum usque crudelis hæc oppugnatio. Sed Messanenses non impigrius hosti obsistebant. Matronæ ipsæ à belli principio cultu priori deposito, nihil sibi reliqui faciebant, quo lapides & cætera id genus, quæ in hostes immitterentur, in mœnia & propugnacula sinuosis vestibibus apportarent, & poculis aliisque necessariis viros reficerent: quos cum lachrymis amplexantes, orabant ne sacra mœnia, à quibus cunctorum salus & vita pendeat, desererent, ostentantes eis vagientes in cunis infantulos: quos, si Francorum conatibus cederent, in sanguinis Francici vindictam ante ora parentum jugulandos dicebant, quo casu melius fore bello fortiter mori, quam crudeliter perire. Quocirca Francos cupiditate necis commilitonum ulciscendæ (quorum manibus Messanensium imprimis sanguine parentandum deliberabant) accensos, Messanenses, quos id non latebat, fœminæ, pueri, tenes, ægri, valetudinarii, adolescentes, juvenes, ætatis robur, omnis ordo, omnis ætas, omne mortalium genus ardentissime propulsabant: nulla munera, nulla onera, nulla pericula detrectantes, aderant animo, consilio, corpore, assiduitate, nec Duce, nec hortatore, nec excitatore egebant: ut nulla multis ante seculis acrior aut oppugnatio aut propugnatio in Sicilia memoria teneatur. Toto igitur die multo utrinque san-

guine fuit dimicatum : quousque horrida praelia nox dire-  
mit. Franci sese in castra recipiunt : Messanenses super  
mœnibus & propugnaculis quietem sibi,quam potuerunt,  
quæsiere. Illucescente vero,majori impetu mari & terra  
Franci machinis, tormentis & missilibus iterum urbem  
adoriuntur : & tot saxis impugnata sunt mœnia,ut ad æta-  
tem usque meam in porta civitatis S. Antonio inscripta,  
meridiem obversa, eorum vestigia relicta à Messanensibus  
referantur. Messanenses non minori ardore obsistunt,ac  
omnia sufferunt,audent, omnia sibi certa faciunt,  
ne in Francorum manus veniant.



denso et vivo orationis genere  
expressa.

omni ea parte declaras

atque multatibus

in Sanguinam rabiem

versis

Superesse praeterea

multis nominibus

usque ante hac

rudere

non dicam

venus — atten

impleorae (coronae)





10/3080



**ULB Halle** 3  
006 765 025


A standard 1D barcode is located below the text on the label.

VD 17

W







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

NUPTIÆ  
ARISINÆ,  
M. D. LXXII.